GERARDI JOHANNIS VOSSII

RHETORICES CONTRACTÆ

SIVE

PARTITIONUM *ORATORIARUM.*

LIBRI V.

Ex decreto Illuſtr: ac Pot. HOLANDIÆ, & WESTFRISIÆ DD. ORDINUM *in uſum Scholarum ejuſdem Provinciæ excuſſi.*

OXONIÆ,
Excudebat W. *Hall*, impenſis J. *Godwin.*
Anno Dom. M. DC. LX. IV.

Per Illustri Viro,

BENJAMINO AUBERIO
MAURERIO
FONTIDANGEO.

Christianissimo Regis in sanctiore consistorio Consiliario.

Et ejusdem in fœderata Belgica Legato,

Illustrissime Domine,

ETSI præsentem Galliarum, & fœderatæ Belgicæ statum cogitanti, non difficile esset conjicere, quantopere, si unquam nunc publica te negotia distinerent fiducia nihilominus fuit compellandi tui, atque id non aliâ de causâ, quam ut Rhetorices hos libellos quinq; tibi de manu in manum traderem. Parum id verecundè à me factum esse, dixerit aliquis: sed tamen multa erant, quæ ad illud impellerent. Nam obversabatur animo primum singularis planè

ac prope divina, in tanta dignitate humanitas tua. Simul occurrebat, te, magni Mæcenatis exemplo, literatos non minus, quam literas ſolitum amare, virum utiq; exquiſitiſſimæ doctrinæ ſucco non leviter modo tinctum, ſed penitus imbutum. Neq; olim duntaxat hic ardor tuus, ſed nunc etiam occupationes graviſſimas elegantiſſimè diffindis Palladis ac Muſarum ſacris. In mentem quoque veniebat, eo in ſtudiorum genere verſari hunc laborem meum, quo cives tui fortiſſima Gallorum natio, ab omni prope gentis memoria, commendari non minus quam armis, ſolet, Memineram enim ab antiquo illo Catone * proditum eſſe, *pleramque Galliam duas res industriosiſſimè perſecutam, rem militarem, & argute loqui.* Sciebam, urbem, terrarum olim dominam, Gallos dicendi magiſtros habuiſſe: atque hujus etiam gentis fuiſſe L. Plotium illum, qui, extremis L. Craſſi temporibus, primus dicendi artem Romæ intulit: idque magno concurſu, quod ſtudioſiſſimus quiſque apud eum exerceretur, teſte ad M. Titinnium Ciceronem *.

Offerebant

* *Apud Soſipatrum l. ex Originum libris. Ac puto eodem reſpexerit B. Hieronym. adverſ. Vigilantium, cum ait: Sola Gallia monſtra non habuit; ſed viris ſemper fortiſſimis & eloquentiſſimis, abundavit. Atq; idem epiſt. ad Ruſticũ laudat uberratem Gallici nitorẽque ſermonis.*

* *Hieron. in Chron.*

* *apud Sueto, de claris Rhetor.*

Offerebant se etiam, tum Narbonensis * Votienus, magni sub Augusto nominis Rhetor, quem postea à Tiberio in Baleares fuisse insulas relegatum, Tacitus * auctor est: tum illi, qui sub Nerone floruerunt, Domitius Afer Nemausensis, Clodius Quirinalis Arelatensis, L. Statius Ursulus Tolosanus. Et quis enumerat omnes Galliæ Rhetores, atque Oratores; præsertim si ad posteriora etiam tempora deveniendum sit; quorum multos referunt Burdigalensis Ausonius, ac B. Hieronymus. Ad hoc cogitabam, à veteri gloriâ non defeciviſſe Galliam tuam, an quia, & hæc & patrum ætas tot excellentes in arte nostra viros protulerit, quorum nomina tabulis æternitatis Fama inscripsit. Omnes illos dicere si velim, non patietur ingens numerus: & si possim, negotia tua vetabunt. Unum tamen præterire non sinit præsens instituti ratio. Est is, vir summus, *Jacobus Auberius*, patruus tuus qui primum magna cum eloquentiæ laude in supremâ Parisiensium curiâ advocatus vixit: ac postea virtutis & honoris ergo præturæ urba-

* *Martialis lib. 8. & Hieron. in Chron.*

* *lib. 4. Annal.*

næ præfectus fuit atque in ea ita se gessit, ut ob singulares animi dotes admirationi esset omnibus: unde & hoc inter alia virtutis suæ pretium tulit, quod rex ipse *Henricus* II. rara ejus prudentia, & Nestorea facundia motus, miserit eum ad regem Britanniæ legatum. Qua in dignitate, regis sui, civiumque summam de se exspectationem etiam vicit, facileque ostendit non alteri justius conxenire, quod de Cethego dixit Ennius *, *Flos in libatus populi, suadæq; medulla.*

* *Lib.* 9.

Neque istam domus tuæ gloriam pateris oscurari, vir illustrissime: sed eam nominis tui luci, qua longe lateque omnia implesti, potius adauges. Quippe quasi viva & spirans quædam patrui tui, vel potius Pithus ipsius, imago, ita prudentiæ juxta, ac facundiæ laudem pariter es complexus, aut Christianissimo Regi non alius æquè idoneus visus sit, qui apud præpotentes fœderatæ Belgicæ Ordines legati munus, nomine regio, obiret, Quantopere hic, Domine, alterius triumpharet oratio in dicendis laudibus tuis, Atque id satis intelligunt, quos minimè

nime fugit, ut in legatorum non paucis sæpe desideratum fuerit facundiæ decus. Quæ ubi penitus abest, quid nisi ἄφωνον ὕημα* dixeris cum Antiphane *? Sin potius manca mutilaque fit, quàm nulla. Scio, assumi solere συνὰς γορεύοντας †, ut verbo utar, quo Halicarnassensis Dionysius*, hanc rem expressit: ubi id feciſſe ait Tarentinorum, ac Nolanorum legatos, cum in Neapolitano senatu dicendum esset. Ac quorundam judicium esse video, non magis id illis vitio vcati debere, quam acri & strenuo viro, Lysandro, cum orationem edidicit* scriptam sibi à Cleone Halicarnasseo. Tibi vero, Amplissime Legate, nihil aliena opus facundia, qui judicio tanti Regi omnes implesti numeros, ut consiliarii prudentissimi, ita dissertissimi oratoris. Cujus rei etsi, & antea in Gallia, & multis inde annis in fœderata hac Belgica, maxima dederis argumenta: non tamen latissimam hanc aream ingrediar oratione mea, qua landibus tuis tenebras potius quam lucem affunderem. Sublimes enim curæ illæ de moderandis regnis & rebus publ.

* *Oratorem mutum.*
* *Apud Athenaum lib.* 12.
† *Patronos.*
* *In excerptis de legationibus.*
* *Plutarch in Lysand.*

captum meum, meique similium, hominum quippe umbraticorum, longissimè transcendunt. Atq; ne ista quidem pauca, quæ hactenus delibavi, alio à me fine dicta sunt, quam ut videant omnes, non me potuisse melius certiusque tutelæ, ac patrocinio cujusquam commendare hos libellos meos quibus oratorem formo, & firmo: quam illi qui & summus ipse esset orator, & ea ex familia, quæ facundiæ decus quasi proprium sibi vindicasset: & non ejus tantum nationis Rege orator ad Belgas missus, quæ eloquentiæ laude Græcos pariter, ad Romanos: provocaret. Quamvis vero magna sint ista, & talia plane, quæ optimo jure plurimum me moverint: tamen aliud præterea accesserit, & quidem quod me propius tangat. Nempe præclarum de me judicium tuum, summaque erga me benevolentia: quam cum ex aliis, tum præsens ipse nuper satis perspexi: ac potissimum ex eo, quod egregiæ indolis eximiique ingenii libros tuos, carissima sanè pignora apud me potissimum vivere voluisti. Quare omnino putavi, recte me

facturum

facturum, si eadem opera ostenderem, & quanti faciam effectum hunc erga me tuum, & quibus præceptis existimem juravi posse liberos tuos, quo cum ætate paulatim ad eloquentiæ, virtutisq; paternæ gloriam adsurgant. Hoc, scio, voves ipse, illustrissime Domine, atque adeo, ut vel patris nomen, si fieri possit, vincant. In quo tuo, & omnium nostri voto (æternus Deus audiat nos, atque exaudiat) felici omine desino Lugduni Bat. ∞ Io CXXI. XII. Kal. Septembris.

Illustrissimo nomini tuo

devotissimus

GERARD. JOANNES

VOSSIUS

SERIES CAPITUM

LIBRI PRIMI.

Caput.

1. *De natura Rhetorices.*
2. *De inventione generatim.*
3. *De generibus causarum.*
4. *De genere demonstrativo.*
5. *De genere deliberativo.*
6. *De genere juridiciali, ac universe de statibus.*
7. *De statu conjecturali.*
8. *De statu finitivo.*
9. *De statu qualitatis.*
10. *De statibus legalibus.*
11. *De statu quantitatis.*
12. *De argumentis inartificialibus.*

LIBRI SECUNDI.

Caput.

1. *De affectibus generatim.*
2. *De metu.*
3. *De confidentia.*
4. *De pudore.*
5. *De latitia.*
6. *De gratia.*
7. *De ira.*
8. *De leniitate.*
9. *De amore.*
10. *De odio.*
11. *De indignatione.*
12. *De invidia.*
13. *De misericordia.*
14. *De æmulatione, & contemptus item epilogus doctrinæ de affectibus.*
15. *De moribus.*
16. *De inventionis parte speciali universè*

ac

ac distincte, de orationibus panegyricis & aliis, quæ iis sunt adfines.

Cap. 17. *De oratione nuptiali, item de epithalamiis.*

18. *De oratione natalitia, ac funebri.*

19. *De oratione gratulatoria, gratiarum actione, & lamentatoria.*

20. *De oratione, qua discedentes, vel domum redeuntes utimur, vel alium discedentem prosequimur.*

21. *De mentione & commendatione.*

22. *De concitatione, & consiliatione.*

33. *De adhortatione, & dehortatione.*

24. *De consolatione.*

25. *De petitoria.*

26. *De invectiva, & objurgatione.*

27. *De expostalatione, exprobratione, & deprecatione.*

LIBRI TERTII.

Cap. 1. *De dispositione universè.*

2. *De exordii duplici officio, & utriusque locis generatim.*

3. *De specialibus exordiorum locis.*

4. *De exordii.*

5. *De narratione.*

6. *De propositione.*

7. *De confirmatione.*

8. *De confutatione.*

9. *De epilogo.*

LIBRI QUARTI.

Cap. 1. *De elocutione universè, ac particulatim de priori elegantiæ parte quæ in Latinitate consistit.*

Cap. 2.

Cap. 2. De perſpicuitate.
3. De dignitate, ac tropis generatim.
4. De metaphora.
5. De metonymia.
6. De ſynecdoche.
7. De ironia.
8. De metalepſi, antonomaſia, & ea quæ λιτότης dicitur.
9. De allegoria, catachreſi, & hyperbole.
10. De ſarcaſmo, aliiſque irriſionis ſpeciebus, etiam onomatopœia, antiphraſi, hipallage.
11. De ſchematibus generatim: deque iis ſpeciatim, quæ defectu, aut exceſſu figurant orationem.
12. De ſchematibus λέξεως, quibus eadem vox repetitur.
13. De ſchematibus in verbis ſimilis ſoni.
14. De occupatione, ſubjectione, confeſſione, & conceſſione.
15. De ſententia, noemate, & diſtributione.
16. De ætiologia, diatypoſi, & hypotypoſi.
17. De aſſimulationis ſpeciebus & diſſimilitudine.
18. De ſchematibus, quibus oppoſita junguntur.
19. De digreſſione, & epiphonemate.
20. De ſchematibus quibus res exaggerantur.
21. De figuris pertinentibus ad argumenta.]

Cap. 22.

Cap. 22. De *transitione, rejectione, & digressione.*

LIBRI QUINTI.

Cap. 1. De *prima alteraque compositionis parte quæ sunt junctura, & ordo.*
2. De *incisis, membris, periodis.*
3. De *numero.*
4. De *triplice charactere, & speciatim de magnifico, ac vitio ejus.*
5. De *caractere tenui, ac vitio ejus: item charactere mediocri, vitioque opposito.*
6. De *vetustate, vitioque ei adversante.*
7. De *gravitate, & vitio, quod ei opponitur.*
8. De *pronunciatione generatim, deque voce particulatim.*
9. De *corporis motu.*

In

In

RHETORICAM CONTRACTAM

Clarissimi viri

GERARDI VOSSII.

Dum pereunt artes, dum se facundia nobis
Eripit, & sensim barbara turba sumus,
Quam bene quod, Vossii, fugientem maximus autor
Sistis, & errantem sub tua signa vocas.
Haud tibi cum trivio quicquam est, inventa Pelasgum
Pandis, & ex imis fontibus hausta doces.
Miramur pariter, pariterque addiscimus omnes:
Nec tantum obstricta est nostra juventa tibi.
Plus quoque venturi debebit temporis ætas,
Soli barbaries nec metuenda tibi est.
Vt pereant artes, pereat facundia tota,
Et redeat, paulo quod fuit ante, chaos,
Dum solos discatque tuos relegatque libellos,
Addiscet pro te postera turba loqui.

DANIEL HEINSIUS

GERARDI

GERARDI JOANNIS VOSSII RHETORICES *CONTRACTÆ*, *sive* PARTITIONUM ORATORIARVM Liber Primus.

CAP. I.

De Natura Rhetorices.

1. § RHetori *nomen impositum est à dilendo, quod Græcis est* ῥεῖν. *Vnde bene dicendi scientia* Rhetorice *vocatur.*

Rhetoricen alii dictam volunt ab ἐίρω id est *dico*, quia docebat, bene dicere: allii à ῥέω id est *fluo*, quia ejus beneficio, fluminis instar, procurrat oratio. Sed etymologia neutra est vera. Nam ἐίρω quidem quia præterito destituitur, mutari illud cogitur ab ἐρέω unde ἐρήτωρ, non ῥήτωρ ἀναλόγως diceretur. A ῥέω autem qd *fluo* significat, foret ῥεύτωρ, & ῥεύτορικὴ, qd alia verbalia ostendunt, ut sunt ῥεῦμα*, ῥεῦσις (a) ῥευστὸς (b), Quare omnino venit à ῥέω. id est *dico*; unde & ῥῆμα (c) ῥῆσις (d) ῥητὸς (e) Hoc ῥέω autem κατ' ἀφαίρεσιν factum

* *Humor affluens.*
a *Fluend actus.*
b *Fluidus.*
c *Verbum, vocabulum.*
d *Dictum, sententia.*
e *Dicendus*

tactum est ex ἐρέω quo pro εἶπω utuntur, Homerus, Lucianus, alii.

2. §. *Differunt* rhetor, & orator, *quod* rhetor *sit, qui bene dicendi præcepta tradit:* orator, *qui accommodate ad persuadendum potest dicere.*

Quanquam enim, si propriam significationem attendas, qui Græcis est ῥήτωρ, Latinis fuerit orator: tamen discrimen assignatum jam Ciceronis ævo obtinuit; ut cognoscimus ex primo ejus de oratore. At pro eodem accipi solent, *orator dicendi peritus facundus, disertus, eloquens.* Nisi quod *eloquentis* nomen videatur augustius, quam *diserti* (f.)

f *Cic. l. 1. de Orat. pag. 93. edit. Ald. & in Bruto p. 198.*

3. §. *Definitur* Rhetorice *ab Aristotele, facultas utendi in unaquaque re, quod in ea est ad persuadendum idoneum.*

Aristot. lib. 1. *Rhet.* cap. 11. Ἔστω δὴ ἡ ῥητορικὴ δύναμις περὶ ἕκαστον τοῦ θεωρῆσαι τὸ ἐνδεχόμενον πιθανόν. Genus in hac definitione est δύναμις sive *facultas:* quam Arist. potius genus statuit, quam *artem*, quia in definitione accurata genus proximum adferri debet: *ars* autem est genus remotum, *facultas* proximum. Nam ille tantum artes facultatis nomen obtinent apud Peripateticos, quæ æque respiciunt utrumque contrarium: quomodo Dialectice, & interrogantem instruit, & respondentem: Rhetorice item, & actorem, & reum: quæ duæ idcirco proprie facultates dicuntur. Differentia in allata definitione petitur

petitur à fine, officio, & materia: quæ tria distincte explicabimus.

4. §. *Finis Oratoris ultimus est persuadere.*

Hoc est, diserta oratione aliquem impellere ad agendum, sive ad persequendum bonum, & fugiendum malum. At Rhetoris finis alius est; nempe, instruere futurum Oratorem.

5. §. *Officium oratoris est videre, quid ad persuadendum conducat sive dicere ad persuadendum accommodate.*

Officium oratoris vel θεωρίας (g) ratione consideratur, vel πράξεως (h). Priori modo considerat Aristoteles, cum officium esse dicit θεωρῆσαι τὸ ἐνδεχόμενον πιθανὸν (i), ubi θεωρίας rationem haberi, indicat vox θεωρῆσαι (k). At πράξιν spectarunt Cicero & alii: quando nunc generatim dicunt, officium illud esse bene dicere, sive dicere ad persuadendum oppositè; nunc speciatim, officium esse aiunt docere, conciliare, & permovere: item cum officium vocant invenire quid dicas, inventa disponere, deinde ornare verbis, post memoriæ mandare, tum ad postremum agere ac pronunciare. At differt ab hoc officio officium Rhetoris, quod est tradere præcepta bene dicendi.

g *Cognitionis.*
h *Actionis.*
i *Videre quid aptum sit ad persuadendum.*
k *Videre.*

6. §. *Materia est τὸ ὑποκείμενον, sive unaquaque res. Sed ita versatur circa res omnes, ut magis occupetur circa civiles: & ex his ipsis magis circa hypothesin, quam thesin. Est vero thesis*

ro theſis quæſtio infinita, ſive univerſalis: *ut*, ant bellum ſit gerendum, *hypotheſis autē eſt quæſtio finita, ſive ſingularis*: *ut*, an utile ſit Athenienſibus, bellum gerere cum Peloponneſiis aut ſuccurrere Corcyræis.

Materia ſive ſubjectum, circa quod ſe occupat orator, eſt res quælibet, quæ ſi per interrogationem proponatur, *Quæſtio* dicitur.

Dividitur autem Quæſtio quadrifariam.

Primum in quæſtionem ſimplicem, & conjunctam.

Simplex eſt unius & ſimplicis thematis, quod ad popularem notitiam explicatur: ut, *de Deo, paradiſo, virtute*, &c.

Conjuncta eſt pronunciati alicujus, quo argumentis probatur: ut, *an ducenda ſit uxor*.

Deinde quæſtio vel theoretica eſt, vel practica.

Theoretica inſtituitur cognitionis gratia: ut, *quæ cauſa ſit Lunaris defectus*.

Practica tractatur propter actionem, ut *an vim vi liceat repellere*.

Præterita vel infinita eſt quæſtio, vel finita:

Infinita quærit univerſe, ut, *an quapiam de cauſa homini hominem liceat interficere*. Hæc Græcis θέσις Latinis *(l) propoſitum* & *conſultatio* dicitur:

1 *Cic. in Topicis.*

Finita reſtringit quæſtionem univerſalem ad perſonam, aut rem ſingularem; ut, *an jure Clodium occiderit Milo*. Hæc Græcis ὑπόθεσις Latinis vocatur *cauſa*, aut *controverſia*.

Denique quæſtio vel principalis, vel incidens eſt.

Principalis eſt quæ præcipuè in controverſiam

versiam venit; ut, *an Opimius Gracchum, aut Milo Clodium jure interfecerit.*

Incidens vocatur, quæ propter aliud tractatur; ut, *num Reip. conservandæ causâ civem liceat occidere, seditiosum quidem, sed indemnatum?* Item *num Gracchus vel Clodius cives fuerint seditiosi.*

Quæstio simplex, item theoretica, nec non infinita, plurimum quæstiones sunt insidentes. At quæstio principalis solet esse conjuncta, practica, finita. & ex conjunctis magis versatur Orator circa practicam; ex practicis magis circa finitam. Unde liquet, triplicem esse ejus materiam, communem, magis propriam, & maxime propriam; communem esse, rem quamvis; magis propriam, res civiles: maxime propriam, quæstionem singularem, sive hypothesin.

7. S. *Duabus rebus (m) eloquentia paratur; natura, & cura: quarum hæc in duobus occupatur, artis præceptis, & usu sive exercitatione. Natura incipit, ars dirigit, usus perficit. Sed arti comes esse debet magnarum rerum scientia, sine qua non tam eloquentia acquiritur, quam linguæ volubilitas, & inanis loquacitas.*

m *Fabius lib. 26. 9. & lib. 11.*

Maximam ad dicendum vim adfert natura. Nam (*n*) & animi, atque ingenii celeres quidam motus esse debent, qui ad cogitandum acuti, & ad explicandum, ornandumque sint uberes, & ad memoriam firmi, atque diuturni. Cujusmodi εὐφυΐα si adsit, facili labore eloquentiam adipiscimur. Sin natura obtigerit plane infelix supervacua erit omnis doctrina. Unde vulgo dici

n *Crassus apud Cic. l. 1. de orat.*

ci ſolet, eloquentiam [mediocrem ſaltem] aut cito parari, aut nunquam. Quanquam, non, ſi bonitate naturæ præcellant alii, deſperare ſtatim oportet. Natura enim invaleſcit, ſi cura adjuvetur. Cura vero hæc in duobus conſiſtit, artis præceptis, & uſu. Quibus aliqui adjungunt multijugam doctrinam, abſque qua loquentia potius fuerit, quam eloquentia. Quod ne contingat, operam dare oportet tum philoſophiæ civili, hiſtoriis, & aliis, quæ prudentiam adferunt oratori; tum etiam ſcientiæ rerum naturalium, unde ſæpe ſimilitudines petuntur; item poetarum fabulis, aliiſque; unde ornatus multum accedit orationi. Nec propterea damnamus eos qui tria duntaxat ſtatuunt artis principia, naturam, artem, uſum. Nam illa variarum diſciplinarum notitia non eſt de Rhetorica artis ὕλη, ſed extra artis cancellos petenda eſt, ut quam nec rhetor doceat, qua rhetor; nec orator, ſciat, qua orator. Sunt qui ſuperioribus imitationem adjiciant, ſed ea ſub uſu continetur; quippe qui in præſtantium oratorum cum lectione & auditione, tum imitatione conſiſtat. Vel ſi per Imitationem intelligimus doctrinam, unde & quos, & quomodo imitari oporteat, hauriamus, jam ad præcepta artis pertinebit.

8. *S. Pro quatuor vero officii oratoris partibus, quæ ſunt argumenta invenire, inventa diſponere, diſpoſita exornare, & exornata pronunciare, totidem ſunt partes Rhetorices, doctrina inventionis, diſpoſitionis, elocutionis, & pronunciationis.*

Hunc

Hunc partim numerum, alii augent, alii minuunt. Augent, qui cum Cicerone, atque aliis antiquorum, addunt Memoriam. Nos Aristotelem sequimur, quia, quæ memoriam juvant, ad distinctam artem partinent, quæ μνημονευτικὴ dicitur.

Qui numerum hunc imminuunt. hi Inventionem & Dispositionem omittunt, tanquam Logicæ partes.

Verum & Inventio & dispositio Dialectica plurimum distat à Rhetorica. Nam primum differunt fine, quia Rhetorices finis est persuasio; Dialectices autem, probabilis disputatio ac victoria. Dialecticæ quæstiones cognitionis gratia instituuntur; at Rhetoricæ actionis causa.

Propter hanc finium diversitatem etiam materia, ac forma est diversa.

Materia quidem, quia tota Inventio Dialectica est generalis, ut quæ tractet quælibet argumenta ἔνδοξα, sive probabilia; Rhetorica, si propriam materiam spectes, est specialis, quia tractat πιθανὰ, sive persuasibilia.

Ἔνδοξον autem sive probabile cum Aristotele appello, quod probatur vel omnibus, vel pluribus vel sapientibus, iisque vel omnibus vel pluribus, vel maxime probatis. *Top. cap. 1.

At πιθανὸν seu persuasibile illud tantum vocatur quod vel omnibus hominibus, vel, pluribus probatur; non item quod sapientibus solis verisimile sit.

Adhæc, Dialectica versatur tantum circa argumenta docentia; at quibus id quod in quæstione est, vel explicatur vel probatur; Rhetorica insuper instruit argumentis, tum concilian-

conciliantibus, & permoventibus; quæ ἠθικὰ, καὶ παθητικὰ appellantur. Forma etiam differunt, sive spectes loco dialectio, & Rhetori communes; sive Rhetori peculiares, qui ex prioribus derivantur. Communes utriusque artis à Logico considerantur absolute, & quatenus utiles sunt ad mentē instruendam; à Rhetore vero restringitur hæc consideratio ad popularem notitiam, & voluntatis atque affectum motionem. Logici quoque accurate locos illos pertractant in Topicis: Rhetores autem, quia nemo nisi Logicis imbutus ad Rhetoricen admitti debet, doctrinam hanc omittunt, vel solum pinguiori docent Minerva, contenti in his locis considerare, quomodo argumenta ex illis petita ad voluntatem movendam applicentur.

Quod ad locos probationum speciales, qui Rhetorices proprii sunt, fluunt, hi quidem ex locis commmunibus, & sub iis, ut genus sub specie, continentur. Veruntamen Dialecticus considerat argumenta πιθανὰ, quatenus sunt ἔνδοξα; Rhetoricus vero, quà πιθανα. Clarius dicam; Dialectice considerat argumenta persuasibilia generatim, & in communi natura, quatenus nimirum sunt probabilia; cui simile fuerit, si quis hominem spectat, quatenus est animal; Rhetorice speciarim hoc agit, quatenus ad persuadendum idonea sunt, cui simile est, si quia hominem consideret, quatenus esthmo.

Itidem plurimum differunt Dispositio Logica & Rhetorica. Logica docet recte disponere utrumq; terminum cum medio, ut bonus fiat syllogismus; item, qua methodo quæstiones

ſtiones ſimplices, aut inconjunctæ, debeant, tractari; ac denique qua ſerie ordinare oporteat diſciplinas. Rhetor autem oſtendit, quo ordine collocari debeant partes orationis πε ςικῆς; quomodo item argumenta eum diſponere conveniat, tum qui adſtuit, tum qui refellit, atque ut Orator ordinem partium in ſyllogyſmo fere emutet, ac quandoque etiam plane invertat.

CAP. II.

De Inventione generatim.

INvenito, quatenus materia Rhetorices eſt τὸ ἐνδεχόμενον *, non tantum extendit ſe ad quæſtiones cunjunctas, ſed etiam ad res ſimplices. Atq; hoc reſpectu definiri poteſt, excogitatio eorum, quæ, vel expoſitioni rei ſimplicis, vel probationi quæſtionis conjunctæ conducunt.

* Res unaquæque.

Explicatio rei ſimplicis vel narratio eſt, vel deſcriptio. Narratio eſt facti, vel quaſi facti. Hæc continet fabulam, ſive apologum, narrationem preſſius ſumptam, (quæ poeticam, civilem, & hiſtoricam comprehendit; & ethiopœiam, qua alicujus dicta, aut facta, pro perſonæ, & circumſtantiarum ratione, veriſimiliter effingimus.

Cum vero narratio, ut diximus, ſit facti aut quaſi facti; deſcriptio erit quævis alia ſimplicis rei explicatio. Nec enim refert, utrum quid ſubſtantia ſit, an accidens; univerſale, an individuum; totum, an cars, abſolutum, an relatum; ſimplex, an collectivum; abſtra-

abstractum, an concretum; positivum aliquid, an privatio ac denique res vera, an imago rei, uti picturæ, aut statuæ, quales sunt descriptiones Callistrati.

Quomodo autem res simplex, vel descriptione, vel narratione explicetur partim rhetorum præceptis addiscitur, partim oratorum exemplis, ac de utroque, quod satis est, cognoscere fuit ex progymnasmatis, quæ repetere hoc loco nihil attinet. Nam veterum consilium perplacet, apud quos juventus progymnasmatis, tanquam justæ orationis particulis, grandi præludere operi solet declamandi. Quia igitur, quæ ad simplicem quæstionem pertinent, satis illic explicantur: jure optimo de sola quæstione conjuncta agere antiqui solent in suis de arte oratoria commentariis. ad quos progymnasmata sunt manuductionis loco. Quanquam altera etiam ratio accessit. Nam sophistis quidem constituere orationem integram solet descriptiuncula quæpiam, ethopœia, vel aliud simile: sed germani oratores illa potius assumunt in tractatione quæstionis conjunctæ ad aliquid vel probandum vel ornandum, aut amplificandū. Quare & qui justum artis σύγμα *b* Perscriberent, ista olim inserebāt vel inventionis, vel dispositionis, vel elocutionis doctrinæ; considerantes ea, quatenus, vel huic, vel illi, vel isti inservirent; ac propterea tractantes de illis in ea parte, cujus gratia solent assumi. Nos quoq;, etsi juniorum consilium non penitus damnamus: tamen, quia ratio satis gravis non est, cur recedamus ab antiquis, exemplum horum imitabimur. Esto itaque etiam nobis materies

b Corpus sive compagem.

materies Oratoriæ inventionis. Quæstio, conjuncta, & superior Inventionis descriptio hunc in modum restringatur.

1. S. *Inventio est excogitatio argumentorum quæ ad persuadendum idonea sunt.*

Intellige autem, quà argumenta istæc sunt istiusmodi. Hoc est, quatenus sunt πιθανὰ Nam hac considerandi formâ differt inventio Rhetorica à Dialectica, ut paulo ante diximus.

2. S. *Argumentum est probabile inventum ad faciendam fidem.*

Prout Cicero definit. 1. de Invent. sive ut in Top. ait, est *ratio, quæ rei dubiæ facit fidem.* Vel ut Fabius describit lib. v. cap. x. est *ratio probationem præstans, qua colligitur aliud per aliud, & quæ, quod est dubium per id, quod non est dubium, confirmat.* Juniorum aliqui laxius hac voce utuntur; ut quibus argumentum dicatur, non tantum quod ad conjunctæ quæstionis probationem adfertur; sed etiam quod simplicium explicationi inservit. Nobis cum veteribus, ut sapere, ita loqui, animus est.

3. S. *Argumenta petuntur è Locis. Loci sunt sedes ac nota argumentorum, quarum admonitu invenitur, quid in quaque re aptè ad persuadendum dici queat. Horum alii sunt Rhetoricæ cum dialectica communes, alii vero Rhetoricæ peculiares. Loci utriusq; facultatis communes è Topicis petuntur.*

Estq; locus ambarũ communis, vel Artificialis, vel inartificialis. Artificialis est vel vocis,

vel rei. Locus vocis, vel est notationis; vel conjugatorum. Locus rei vel primus est, vel ortus è primo. Primus est vel Internus, vel externus. Internus est generis, & speciei; materiæ, & formæ; totius & partis; subjecti. & accidentis. Externus partim est causæ efficientis, & finalis, ac effectus: partim circumstantiæ, objecti, & signi. Locus ortus est definitionis, quæ οὐσίαν indicant; descriptionis, quæ petitur ab accidentibus, effectis vel partibus, divisionis, quæ species exponit, aut partes sive per se sive per accidens insint; comparationis, quæ est majorum, minorum, parium, aut similium: oppositionis, quæ est disparatorum, relatorum, contrariorum, privantium, & contradicentium. Atque his ex locis petitur argumentum quod opinionem pariat, & quandoque etiam scientiam. At locus inartificialis, sive assumptus, est argumenti gignentis fidem. Estque testimonii, vel divini, vel humani. Quæ omnia exemplis illustraremus, nisi isthæc notissima forent è Logicis; quorum intelligentem prius esse oportet siquis serio rhetoricari volet.

4. S. *Quemadmodum autem opus est ingenio ad inveniendum, ita etiam judicium requiritur ad seligendum. Nam licet universos locos percurrere animo debeat orator: non tamen utitur omnibus; sed aptis, non à causa alienis, non levibus, non illis etiam, quæ parum idoneæ sunt ad captum popularem.*

Uti inter alia sunt perfectæ Logicorum definitiones, quales parce adhibet orator: ut qui

qui non ſubtili, & ſicco, ſed populari, & fuſo, delectetur genere dicendi. Nôſſe tamen eas debet, ne inanibus verbis fruſtra luxuriet oratio.

5. §. *Loci Rhetorum proprii ſunt triplices alii argumentorum docentium, alii conciliantium, alii permoventium. Graci ea vocant,* λόγους, ἤθη καὶ πάθη *. * *rationes mores, & affectus.*

Optimè hanc rem expreſſit Ariſtoteles 1. Rhet. & ex eo Cicero lib. 1. de Orat. ubi inquit. *Ratio omnis dicendi tribus ad perſuadendum rebus eſt nixa; ut probemus vera eſſe ea, quæ defendimus; ut conciliemus nobis eos, qui audiunt; ut animos eorum, adquemcunque cauſa poſtulabit, motum vocemus.* Et ibidem: *Meæ totius orationis, & iſtius ipſius quam modo Craſſus in cœlum verbis extulit, tres ſunt rationes, ut antè dixi; una conciliandorum hominum; altera docendorum; tertia concitandorum. Harum trium partium prima lenitatem orationis, ſecunda acumen, tertia vim deſiderat. Nam neceſſe eſt, ut is qui nobis cauſam adjudicaturus ſit, aut inclinatione voluntatis propendeat in nos, aut defenſionis argumentis adducatur, aut animi permotione cogatur.*

6. §. *Omnis ea de triplici hoc argumentorum genere doctrina dividitur in partes duas, primariam unam, ac magis ſimplicem, alteram verò ex priori ortam.*

Prior illa ſeorſim exponit λόγους, quibus probatur quæſtio finita; ſeorſim item de ſingulis

gulis affectibus agit: seorsim quoque ἠθολογίαν tractat. Estque hæc pars planè necessaria, unde ab Aristotele, & veterum aliis, accuratè explicatur. At posterior applicat superiorem doctrinam ac species quasdam minores: ut sunt gratulatio, gratiarum actio, consolatio, & similes. Hanc partem Aristoteles non tractat ex professo, eò quòd ratio de istis agendi, modò usus aliquis accesserit, non ita magno negotio ex iis quæ dixerat, cognoscatur. Propterea nos quoque de priori majore cum curâ dicemus, alteram strictiùs, nec negligenter tamen, exponemus.

7. §. *In parte principe auspicandum ab argumentis* ὑποδειπτικοῖς, *sive docentibus. Sunt hæc vel,* ἔντεχνα, *sive artificialia: vel* ἄτεχνα, *sive inartificialia,* ἔντεχνα, *& invenienda sunt, & tractanda oratori.* Ἄτεχνα *non inveniuntur ab oratore sed foris allata tantummodo ab eo tractantur.*

Partit. Artificiali Ciceroni dicuntur *insita*: inartificialia autem *assumta*. Ita causæ insunt argumenta, quæ probant aliquem esse cœdis auctorem, quia habuerit occidendi animum, item vires ad eam rem, atque occasionem: & quia signa exstent cædis ab eo patratæ. At illa foris assumuntur, quæ petuntur à confessione servi, rumore vulgi, aut similibus.

8. §. *Loci artificialium argumentorum vel genera'es sunt, vel speciales.*

9. §. *Loci generales sunt domicilia argumentorum tribus causarum generibus communium.*

10. §.

10. §. *Ejusmodi sunt duo. Prior est possibile, & impossibile. Nam instituatur suasio, vel dissuasio; sive laus, vel vituperatio, sive accusatio, vel defensio: semper probandum est, aliquid potuisse fieri.*

11. §. *Alter est magnum & parvum; quo pertinent Comparatorum loci; ut eum ostenditur aliud alio utilius vel inutilius; honestius, vel inhonestius; æquius, vel iniquius.*

Hæc planiora fient, ex iis, quæ de tribus dicendi generibus infrà, cum universè, tum speciatim, dicemus.

12. §. *Loci speciales sunt domicilia ac sedes argumentorum singulis causarum generibus propriorum. Itaq; pro varietate eorundē variant.*

CAP. III.

De Generibus Causarum.

1. §. *Sunt vēro tria genera causarum ἀποδείξεων, demonstrativum, deliberativum, & juridiciale.*

2. §. *Demonstrativum est, quo laudamus, aut vituperamus, deleberativum, quo suademus, aut dissuademus: juridiciale, quo accusamus aut defendimus.*

3. §. *In docendo demonstrativum habet finem propositum honestatem: diliberativum, utilitatem: juridiciale, justitiam, & æquitatem.*

4. §. *At in movendo, orationis finis est affectus, ad quem præcipuè impellit animus auditorum; ut in demonstrativo est delectatio: in*

deliberativo, ſpes aut reformidatio, in juridiciale, clementia, aut ſævitia.

5. §. *Qui laudat, aut vituperat, fere tractat præſentia, qui ſuadet, aut diſſuadet, verſatur circa futurum, qui accuſat, aut defendit, conſiderat præterita.*

6. §. *In demonſtrativo auditor eſt θεωρὸς, ſive ſpectator; in deliberativo, ſi cauſa eſt publica, ſenator; in juridiciali judex.*

7. §. *Sæpe autem fit, ut eâdem in oratione, & laudet, & conſulat, & defendat orator; ſed cujus generis oratio ſit, ſtatui tunc debet ex principali fine, ſive quæſtione eâ, ex quâ aliæ naſcuntur. Aut ſi parilis omnium partium ratio ſit, ut in cauſa multiplici contingere poteſt; pro diverſis partibus, unde conflatur oratio, ad aliud, atque aliud, dicendi genus pertinebit.*

Atque hæc univerſe naturam aperiunt trium dicendi generum. Deinceps ſpeciatim de iis videbimus.

Ordiemur autem à genere demonſtrativo. Nam etſi dignius eſt deliberativum; unde & ab eo Ariſtoteles cœpit; tamen alterum illud facilius eſt. Adde quod hoc genere non ingenia tantùm adoleſcentum excoluntur, ſed etiam mores; dum ea, quæ laude digna ſunt, jam primâ illâ ætate à turpibus diſcernere, & quæ honeſta ſunt, laudare probareq; adſueſcunt.

CAP.

CAP. IV.

De genere Demonstrativo.

1. §. Ἐπιδεικτικὸν, *sive demonstrativum genus ita dicitur, quia solum demonstrat personæ reive naturam nec per se intendit auditorum actionem, uti in aliis generibus fit. Vocatur quoque* ἐγκωμιαστικὸν *aut* πανηγυρικὸν, *quæ nomina, à parte nobiliori, universo induuntur generi.*

Nam proprie ἐγκώμιον est laudatio facti instituta coram tribulibus ὀν ταῖς κώμαις* πανηγυρικὸς λογος propriè laudatio est, ac interdum etiam suasio, instituta ὃν τῇ πανηγύρει *.

* *in vicis.*
* *Totius gentis celebritate.*

2. §. *Continet hoc genus, uti diximus laudationem & vituperationem. Illa exponit bona, quæ alicui insunt: hæc contrarium facit.*

3. §. *Vtraque tam late patet, quam rerum natura. Nisi quod in aliquibus alterum illorum solum habet locum. Nam in Deum, aut divina non cadit vituperatio. Præcipue vero occupari solent oratores in laude, aut vituperatione personæ, facti, aut rei.*

4 S. *In personâ laudandâ, aut vituperandâ, duplex est ordinis ratio. Nam aut temporum gradus servantur, aut generum distributiones.*

5. *S. In temporum ordine orationem dividimus in ea, quæ spectant ortum, vitam, & mortem.*

6. S. *In ortu consideramus genus, & patriam.*

7. *S. Per genus autem intelligo, parentes, avos*

consanguineos, affines. Ac vel honestum obtigit genus, vel in fame. Infame satius est praeterire. Honestum vel illustre est, vel obscurum. Si illustre fit, dicemus aliquem respondisse ejus splendori: quomodo agendum esset in laudatione Aristotelis, qui ex gente erat Asclepiadarum. *Sin fuerit obscurum, dicemus eum illustrâsse genus virtute sua. Addemus, hoc esse majoris virtutis argumentum, quod quis sine commendatione natalium, sine opibus ullis ad tantum decus pervenerit.*

8. Sect. *Patriæ nomine signo natale solum, ac interdum etiam, ubi diu quis commode acceptèque vixit. Ab hac quoque bifariam laudamus. Si enim patria præclara est, hoc ipsum in laude ponitur,* ut quod Xenophon fuerit Athenienſis: *Sin humilis, dicemus patriam ab eo fuisse illustratã atq; exornatam:* quomodo Stagiram nobilitavit Aristoteles.

9. S. *Istis subjiciemus, siquid singulare nativitatis tempore acciderit, aut si quid in somnis visum, vel auditum, quod de nascituro infante haberi posset præsagium.*

10. Sect. *Invita spectamus naturam, fortunam, institutionem, actiones, & honores.*

11. S. *Natura vel corporis est, vel animi. Corporis sunt sanitas, robur, agilitas & pulchritudo.*

12. S. *Animi sunt ingenium, judicium, memoria, studium: tum etiam mores faciles, ac suaves.*

Nam hæc omnia quodammodo natura insunt: non item eruditio, quæ studio comparatur, eoque hujus loci non est.

13. §.

13. Sect. *Fortunæ subjiciuntur opes; quæ vel privatæ sunt, vel cum imperio.*

14. Sect. *Institutio naturæ fidem facit, & eandem perficit. Huc refer, apud quos educatus quis fuerit, ac quibus studiis & à quibus imbutus, sub quo genere Reip.*

15. Sect. *Institutionem verò perficiunt actiones: quæ spectandæ sunt secundùm singulas virtutes.*

16. Sect. *His subjunge honores, quos quis virtutis ergò adeptus fuit.*

17. §. *In morte consideratur tùm genus & causa mortis: ut quòd aliquis, pro patria pugnans fortiter, occubuerit: aut quod defunctus sit pro studio veritatis post exantlatos maximos labores.*

18 Sect. *Post mortem consideranda sunt, pompa funebris, jactura Reipublicæ, luctus bonorum: Potissimum autem commemorari debent honores, si qui sint habiti defuncto:* ut quod Aristoteli statua fuerit erecta, cum inscriptione istiusmodo, ARISTOTELES PHILOSOPHORUM OPTIMUS.

19. Sect. *His omnibus, si quis recens defunctus est, subjicitur consolatio. Imò &, cùm ea locum non habet, additur de liberis, posteris, discipulis. Item illius quem laudamus, comparatio cum aliis:* ut si Aristotelem conferamus cum Platone, eumque ostendimus præferri oportere.

Hunc temporis ordinem sequitur Isocrates oratione funebri, quâ Evagoram, Salaminis Cypriæ regem laudavit.

I. Nam primùm explicat genus, quod à Jove & Æaco usque arcessit.

II. Deinde air, præterire se velle omnia vaticinia somnia, quæ antecessêre ejus nativitatem, & ostenderunt humanâ illam sorte fore majorem.

III. Postea exponit, quæ in puero eluxêre, formam, modestiam, vires.

IV. Hinc virilem ad ætatem accedit; quam excellens fortitudo, sapientia, & justitia exornavit.

V. Denique magnitudinem rerum gestarum explicat: nempe quàm piè, & strenuè recuperârit regnum; quam præclare item illud administrârit; quantâ virtute defenderit contra Persas. Post quæ omnia, Nicoclem ad paternæ hujus virtutis imitationem adhortatur.

Alterum etiam exemplum Paulò post adducimus in laude & vituperatione Julii Cæsaris.

Nec ab ordine isto multum abit Tullius in vituperando Antonio.

9. §. *Est verò ordo hic facilis, sed vulgaris, & scholam redolens, ac plerùmq; languidus nimis, nisi verborum sententiarûmq; floribus conspergatur, & acutis excitetur sententiis: uti factum à Plinio in Panegyrico suo.*

Ubi Trajanum laudaturus, ab adoptione ejus orditur ac deinde provehitur ad virtutes illius, & res præclare gestas. Quæ venustè adeò, atque argutè & cum majestate quadam tractat, ut pro optimo haberi exemplo ea debeat oratio.

21 §. *Alter ordo erat, cum generum ſequimur diſtributionem, nulla temporum habita ratione.*

Ita Cicero in Manliana ait, ſummo Imperatori quatuor res ineſſe oportere, ſcientiam rei militaris, virtutem, auctoritatem, felicitatem: atq; ad quatuor iſta omnes Pompeii laudes reducit. Hic ordo plus artis habet, quam prior.

22. S. *Eſt præterea ordo ex duobus his mixtus. Ut ſi à naturalibus & pueritiâ exorſus, ubi ad virilem ætatem fuerit perventum, actiones omnes digeras ſecundum proprias virtutes.*

23. S. *In omni autem laudatione perſonæ quatuor iſta obſervabimus. Primum ne ad fictitias & mentitias laudes recurramus. Nam hujuſmodi non decus adferunt orationi, ſed in veris etiam fidem derogant Oratori.*

Quod illuſtrare poſſumus Lyſippi exemplo. Apellem * reprehendit quia Alexandrũ Magnum pinxiſſet fulmen geſtantem: at ipſe eum haſtam manu tenentem affinxit. Nam facile videbat, Poſteros non credituros de fulmine: imo propriam quoque haſtæ gloriam ignoraturos fuiſſe, niſi ea monumentis fieret teſtata: nunc, tot veram ejus laudem prædicantibus, fore omnino, ut nulla illam ſecula conticeſcant.

* *Plutarch. in Iſide & Oſiride.*

24. S. *Alterum eſt ut ne in meliorum copia res conſectemur exiles, factaq; leviora. Nam videbimur ejus quidem amantes eſſe, quem volumus*

volumus laudare: sed reperire vix posse quod laudem magnopere mereatur.

Propterea scitè dicebat Phavorinus Philosophus, *turpius esse exigue, atq; frigide laudari, quam insectanter, & graviter vituperari.* Vide Gellium lib. XIX. cap. III.

25. S. *In magnis tamen viris quandoque etiam minutias commemorare conducit.*

Fecit hoc in Apolonio suo Damis: eoque nomine reprehensus, argutè respondit *, de mensis Deorum analecta quoque sedula colligi debere, ne ambrosiæ illius aliquid depereat..

* *Philostr. lib. I. c. 4.*

26. S. *At cavendum tunc, ne exigua quæ sunt immodice extollamus. Satius enim est, ut quæ parva sunt, contenti simus attigisse, dum id prudenter & loco suo fiat.*

Siquidem plus valet verbum prudenter dictum, quam omnes puerilium hyperbolarum ineptiæ.

27. S. *Tertium est, ut non tam consectemur laudes multis competentes, quam proprias, aut communes cum paucis: vel saltem posterioribus his magis immorabimur. Interim concessum est, præsertim si argumentum jejunius sit, atque aridius excurrere in locum communem, ac hypothesin transferre ad thesin.*

Vt

Vt si in encomio formosæ, aut castæ, laudes bonum formæ, vel castitatis. Aut si in laudatione artificis extollas artem, quam exercuit.

28. §. *Etiam digredi interdum licet vel in descriptionem aliquam, vel alicujus reprehensionem.*

Ut si describas urbem, aut regionem, cui quis præfuit; aut Senatum, cujus quis pars fuit; aut Academiam, in qua docuit. Item si reprehendas, aut eos, qui extollunt laude indignos, atque ita fidem adimunt aliis etiam vera dicentibus: aut eos, qui occupantur in laudandis illis, quos nemo vituperat, aut quorum nomen satis est clarum: aut qui reprehendunt eos quos ipsi laudandos suscepimus: aut qui vitio laborat contrario virtuti, quam in aliquo prædicamus: quæ collatio multū facit ad exaggerendum. Hujusmodi digressionum exemplum non unum suggerit Isocrates in laudatione Helenæ, & Busiridis. Ac poetæ multo etiam hac parte sunt liberiores, non in laudationis modo, sed quandocunque materia exilior est. Quomodo Maro in Culice minimum habet de culice, longeque maxima carminis pars consumitur in laudibus vitæ rusticæ, arborum descriptionibus, inferorum argumentis. Et Catullus, Carm. de nuptiis Pelei ac Thetidis, minimum agit de nuptiis, ac totus propemodum est in descriptione pulvinaris, querelis Ariadnes, & carmine Parcarum. Sed hujusmodi non exiguum in imitando judicium desiderant.

29. §.

29. §. *Et hæc de laudatione personarum: ex quibus simul cognoscere est, quomodo institui debeat personæ vituperatio: quippe ubi omnia debeant inverti.*

Nempe iisdem ex locis petitur & laus & vituperatio personæ; quod luculento illustrat exemplo Empotius, Rhetor antiquus Verba ejus etsi dicto duriuscula sit adscribã.

I: *Si dicemus in Cæsarem, laudabimus* à genere, *quod Romanus, quod patricius fuerit, quod usque ab Æneæ, & Juli gente descenderit.*

Vel si reprehendetur, quod nihil ad laudem attineat ipsius, si urbe magna, aut genere nobili procreatus, si originem suam vitæ flagitiis coinquinaverit.

Quanquam mihi videtur hæc mentio generis tota partius esse augenda, cum in cujusquam potestate non sit, quemadmodũ natus sit, sed usurpanda potius ex intervallo & pro opportunitate. Alioquin & hoc in vitio contrahemus, ut in diversis materiis uniformiter auspicemur.

a Spartianus in Ælio vero.

II. *Exin* nomen *tractabitur, quod Julius* à *familliæ suæ principe ipso Julo, sit nominatus & Cæsar, ex eo, quod uni majorum suorum hoc* nomen *adscitum sit, occiso in acie elephanto, qui cæsar vocabatur* (a)

Servius in 1 Æn.

b Idem ib. item Plin. lib. 7. c. 9. Servius in 10 Æn. Nonius, Isidorus lib. 9. cap. 3.

Vel contra irridebitur tam vanæ appellationis assumptio; quando aque sit nomen hoc totum falsum, ferum, abortivum: cum ipsi, qui defunctarum matrum utris exsecantur, cæsares (b) *nominentur.*

Sed hoc ipsum omne nimium remotum est, ac pene ridiculum, & tale certe, ut raro persona reprehen-

reprehenduntur, in quibus causas nominum mereri (c) *possumus. Ac si quid est, quod de Cicerone, quod de Cæsare, quod de Servilio fortè dicatur: nescio quid præbeat disputationis nomen Numæ, Gracchi, Pisonis* (d) *Cethegi.*

III. *Sequitur* educatio, *quam hoc pacto præferrimus in Cæsare, ut illum, cùm esset puer relictus à mortuo patre, dicamus cum matre vixisse; quæ in eo hoc diligentior, ac severior fuerit quòd in illa sola manserit etiam patris officiũ.*

Aut è contrario. non probabimus educationem in contubernio mulieris, & matris.

IV. *Item ab* institutione, *quam plurimùm in facundia & dicendi studio fuisse probet, & quod primum est, gloriam è forensi præstantia consequutus* (e).

Item culpabitur, quod adeo non adeptus sit formam oratoriæ facultatis, ut eum Græca exornationis expertem fuisse manifestum sit.

V. *Hinc* forma corporis *prædicabitur tanquam eminens, & decora.*

Hinc dicitur, ejusdem bonum pudicitia prostitutione violatum, quam Nicomedi subjecerit, Bythyniæ Regi.

VI. *Tum* facta *omnia, quæcunq; poterunt, in partem utramq; ducentur. Dicetur enim accusatione Dolabellæ famam magnæ eloquentiæ consequutus.*

Negabitur eandem meruisse, cùm is quem accusabat, evaserit.

VII. *Dicetur* honoribus *per ordinem functus esse.*

Intenditur & quæsturam cruentam, & præturam habuisse turbulentam, adeò ut senatus consultis notaretur.

VIII.

(c) *Fort. leg.* Invenire, *vel* mereri, *more seculi illius dixit pro* consequi.

(d) *De Pisonis nomine non videtur minus dici aliquid posse quam Ciceronis: Nam uti hoc à cicere ita illud à pisis. Vide Plin. lib. 18. cap. 3.*

(e) *Ita hic scribere malui, ubi vulgo apud Emporium legitur, & quod prima & gloria, & forensis præstantia consecuta.*

VIII. *Dicetur* consul *fuisse popularis, & benignus in plebem, qui etiam agros putaverit dividendos.*

*Item; & cum collega dissensisse, & hostili terrore * usus in eundem, & contra morem majorum in perferendis seditionibus perseverâsse.*

* *Apud Emporium est* hostiliter usus. *Unde feci,* hostili terrore usus. *Vel scripserat,* hostili vi usus. *Nisi magis placet post* hostiliter *deesse* viribus, *Vel simile aliquid.*

IX. *Gessisse illum* bella *magnifica, pertinebit ad laudem; uti Gallias subegisse.*

At in eodem ipso objicietur, quod easdem provincias non civili modo, nec more majorum, decerni sibi per quinquennium elaboraverit, & quod tempore potiùs, quàm virtute, superaverit.

X. Bellum civile *quòd gesserit, inimicis illius objicitur;* Clementia *verò ejus in eodem adeò memorabitur, ut appareat illum minimè arma voluisse.*

Contrà, nullam unquam fuisse causam tam magnam quæ illum impellere ad bellum civile debuerit.

Ut maximè in eo lenior fuerit, non posse videri bellum clemens esse, quod tale sit.

XI. *Mors quoq; atrox, & impia, & tanquam ipsis rebus humanis luctuosa; & tamen ex hoc honesta dicetur, quòd sit occisus in curia, & manibus senatorum.*

E diverso, hostem humani generis, & tyrannum civitatis, dignum sceleribus suis tulisse supplicium, multis vulneribus trucidatum, & in ipsa Pompeianâ curiâ, tanquam Pompeii manibus, jugulatum.

XII. *Postea verò declarabitur, quàm* commota illius morte respublica; *quàm planè status civitatis eversus; quàm denique ipsis percussoribus suis malo fuerit illud parricidiũ peregisse.*

Item.

Item contra, usque adeo illius exitum fuisse optabilem civitati, ut pene placuerit ejusdem acta rescindi, & hostem judicari, qui eadem tuebatur.

Ad hoc felicitas, quæ in illa potest facile laudari, extenuabitur eo, quod libros non habuerit.

30. Sect. *Nunc videamus de laude & vituperatione* Factorum; *quæ cum personarum demonstratione conjuncta est, quia etiam in facti laudatione persona à facto laudatur. Locorum autem, unde laus petitur, alii quidem sunt probationis, alii vero amplificationis.*

31. Sect. *Loci prioris generis sunt, honestum, utile, difficile Honesti quatuor sunt partes: decorum, quod personam decet; legitimum, quod legibus & consuetudini est consentaneum, justum sive æquum, quod est primum in Deum, atque homines; glorioſum, quod cum egregia nominis fama est conjunctum.*

32. Sect. *Vtilis gemina est ratio: vel enim prodest adferendo aliquid boni; vel depellendo aliquid mali.*

33. Sect. *Difficilis natura ex facili cognoscitur; facile vero est quod sine magno labore aut sumptu, & brevi tempore confici solet.*

34. Sect. *Loci amplificationis sunt octo. Nam ad facti laudem pertinet, quod quis primus fecerit, vel solus, vel cum paucis, vel præcipuè, vel tempore maxime necessario, vel sæpe, vel rem spectantem imprimis laudem civitatis, vel quod eo novos acquisiverit honores.*

35. Sect. *Nec propterea singulis ex locis istis*

argumenta

argumenta semper peti debent, sed otiosa rescindere oportet.

Exemplo esto Lucretiæ factum, propter illatum stuprum se interimentis. Laudare hoc factum possumus, partim ab honesto, partim ab utili, Ad quæ hæc argumenta referuntur.

I. Quia, quod fecit, castam decuit fœminam. Nam cum eam oporteat omnia metiri honestate, minimè decuisse, ut illatam pudicitiæ suæ vim contemneret aut dolorem violati pudoris ferret; sed post hujusmodi maculam, qua nulla fœdior esse posset, è vita potius excedere debuisse, quam ut deinceps vel purissimam Solis lucem adspiceret, vel in hominis casti oculos incurreret.

II. Quia facto suo ostendit, quanti facere oporteat castitatem; atque ita consecuta est illud, ne impudica ulla Lucretiæ se exemplo vivere posse dicat.

III. Quia mors non est è malorum genere, sed malorum finis: atq; ut è malis esset, tamen fortis animi non sit, expavescere eam, quæ sine ignominia, imo cum gloria est conjuncta. Cumque ea virtus etiam rara insit viro, tanto magis in fœmina sit prædicanda.

IV. Quia in malo tam gravi aliud perfugium, aut solatium, quæri non potuit, quam mors. Nam honestius erat mori ut pudicam; quam vivere, ut impudicam. Præsertim quando nemo sibi crastinum possit polliceri. Imo, cui grave haud foret, post jacturam pudoris spiritum ducere, non crederetur invita esse perpessa Et poterat Tarquinius, ut adulterorum sunt mores, culpam omnem derivare in Lucretiam, quasi ea flagrantissimum, amorem

rem ſuum aperuiſſet prior. Nunc innocentiam ipſa, quam teſtibus non poterat, ſanguine ſuo comprobavit.

V. Quia ſecuta eſt exemplum aliarum nobilium & fortium fœminarum, quæ gloriæ ſuæ hoc dederunt, ut injuriam aut ignominiam, moriendo, vel vitarent, vel delerent.

VI. Quia fieri potuit, ut adulterium ſemen viſceribus hæſiſſet. Atqui expectandum non fuit, uſque dum ex corruptore ſuo prolem conſpiceret, quæ in matris ac familiæ viveret opprobrium.

VII. Quia atrocitatem illatæ injuriæ magis oſtendit, cùm propter illam ſibi conſcivit mortem.

VIII. Quia morte ſuâ dum vehementiùs ciet indignationem, ſimul viam patefecit ad vindictam publicam: quâ & tyrannus poſtea regno fuit exutus, & libertas parta eſt Romanis.

IX. Quia dum non pudicitiam ſolùm vindicat fortiter, ſed etiam ad auream libertatem viam munit feliciter; tum apud Romanos, tum etiam nationes omnes, nomen ſibi peperit immortale.

X. Quia non erat, quòd ultrà caperetur dulcedine ac illecebris vitæ; cùm jucunda illa caſtæ eſſe matronæ non poſſit poſt ereptum pudicitiæ decus. Eoque niſi nunc ſponte vitam ademiſſet ſibi, poſtea pœnituiſſet vivere, cùm non eſſet tam glorioſum mori.

At idem factum *vituperare* ſi voles; fiet id argumentis iſtis ab inhoneſto, & inutili petitis.

I. Primum, quia ratio, cur ſe interimeret, idonea

idonea non poteſt adferri. Nam libidini adſcribi nequit, quod accidit invitæ; violatum erat corpus, ſed animus fuit innocens, ſufficit caſtitati bona conſcientia.

II. Imò contra, cur parceret vitæ, cauſa erat ſatis gravis. Nam iniquum eſt, ut quæ culpâ vacet, ea non ſe abſolvat, ſed nocentum afficiat ſupplicio.

III. Ad hæc non tota erat ſua; ſed ex parte etiam patris, ac imprimis mariti. Nunc & patrem invitum carâ orbavit filiâ & maritum optimum viduavit conjuge, animæ dimidio ſuæ. Imò inſuper dulcibus liberis matrem abſtulit.

IV. Quid etiam quod ipſa erga Deum pietas avocare eam debuit à tam triſti propoſito? Nam ideo Deus amorem vitæ indidit animis omnium, ut ne quis deſerat vitam, priuſquã è ſtatione ſuâ ſummus vocet Imperator. Quare ſi antè innocens fuit, ſaltem facto hoc in culpam, quam fugiebat, incidit. Atque eſt ea culpa tantò major in fœmina, quanto ſexus ille à ferro eſt remotior.

V. Nec, ut aiunt, animi firmi, ſed impatiens potiùs fuit, manus ſibi adferre. Sanè Romana mulier Tricipitini filia eâ animi magnitudine eſſe debebat, ut fortiter ferret injuriam ſceleris alieni, cum ſapientis nihil ſit præſtare præter culpam.

VI. Adde quod neque honori vel ſuo, vel ſuorum, ſatis eſt velificata. Nam ſuſpicio hinc potuit oriri, quaſi pœnitentiâ ſtupri ſponte perpeſſi ſolatium: ſibi ac perfugium quæſierit in morte voluntariâ. Multa enim

facil-ûs

faciliûs in defunctam potuêre confingi, quàm quam in superstitem.

VII. Præterea, si verè oderat corruptorem, serióque ejus vindictam exposcebat; satius fuit expectare, usque dum supplicium de eo maritus, ac conjunctissimi, sumerent. Ita enim oculos suos pascere potuisset inimici pœnâ: nunc cruore suo animum ejus satiavit, cujus pœnis ipsa potuit exsultare.

VIII. Denique non commoda minûs, ac fortasse etiam facilior & certior ad vindictam hæc fuisset via. Nam superstes non semel, sed semper, cum suos, tum alienos, plorando, obtestando, ad ultionem vehementissimè potuit inflammare.

39. § *Ad Res præcipuè referuntur, tum loca, sive naturalia, sive artificialia, tum animi habitis.*

40. §. *Prioris generis sunt regiones, & urbes: quæ ferè eodem tractantur modo, ac personæ. Nam quod in personis sunt parentes & præceptores, id in his sunt reges, ac conditores: quod illic forma corporis, id hîc situs: quod illîc animi virtutes, id hîc fertilitas: quod illic actiones, præmiáque, id hîc incolarum res feliciter gestæ, ac per ea nominis claritas, & quandoq; etiam privilegia, qua cives universi virtutis ergo à principe suo sunt adepti. Multum etiam ad gloriam addit, si cum alîis, seu regionibus, seu urbibus comparatio instituatur. Quod si terra aliqua parũ fertilis sit: dicemus hoc incolarũ augere prudentiam, eosq; temperantiam docere. Vel etiam compensari illud situ loci; ut qui percommodus sit ad ea impor-*

importanda, quibus ſolum hoc deſtituitur. Omnino autem ad duo potiſſimùm capita in talibus reſpici ſolet, utilitatem, & voluptatem.

Brevis ſed elegans, Campaniæ laudatio exſtat apud Florum, lib. 1. cap. XVI. *Omnium, non modò Italiâ, ſed toto orbe terrarum, pulcherrima Campaniæ plaga eſt. Nihil mollius cœlo: denique bis floribus vernat. Nihil uberius ſolo: ideo Liberi Cereriſq; certamen dicitur. Nihil hoſpitalius mari, Hic illi nobiles portus, Cajeta Miſenus & tepentes fontibus Bajæ: Lucrinus, & Avernus, quædam maris oſtia. Hîc amictæ vitibus montes, Gaurus, Falernus, Maſſicus, & pulcherrimus omnium Veſuvius. Ætnæi ignis imitator. Urbes ad mare, Formiæ, Cumæ, Puteoli, Neapolis, Herculaneum, Pompeii, & ipſa caput urbium Caput, quondam inter tres maximas, Romam Carthaginemq; numerata.*

Tarenti etiam hujuſmodi laudatiunculam habes cap. XVIII. *Tarentus, Lacedæmoniorum opus, Calabriæ quondam, & Apuliæ, totiuſque Lucaniæ caput, tum magnitudine & muris, portuque nobili, tum mirabilis ſitu: quippe in ipſis Adriatici maris faucibus poſita in omnes terras, Hiſtriam, Illyricum, Epirum, Achaiam, Africam, Siciliam, vela dimittit. Imminet portui ad proſpectum maris poſitum urbis theatrum.*

38. §. *Poſterioris verò generis ſunt tum dianoeticæ virtutes; ut ſunt eruditio Ariſtotelis, eloquentia Ciceronis: tum morales; ut juſtitia Ariſtidis, caſtitas Joſephi, vel Hippoliti. Sed raró hujuſmodi argumentũ tractat orator. At ſæpe*

ſæpe in laudatione perſonæ aut facti digreditur in locum communem, de hac, vel illa virtute aut vitio.

Bifariam virtutis laus tractari poteſt: in individuo, ut ſi dicas de ſapientia Solomonis; vel univerſe, quomodo ſapientiæ laudem ſcripſit Apthonius *Theticam laudem* appellat Sopater. Prior modus proprie hujus loci eſt; quatenus nempe genus demonſtrativum, in quo verſatur. ſpecies eſt eauſæ, ſive ὑποθέσεως, quæ eſt quæſtio ſingularis. Verum raro uſu venit, ut iſte modo conſideratum ab oratore tractetur. At ſæpe contingit ut in laude perſonæ, aut facti, digrediatur orator in locum communem, de laude juſtitiæ, clementiæ, fortitudinis bellicæ, eloquentiæ, vel alius virtutis. Itaq; ut plene intelligantur ea, quæ ad perſonæ, aut facti, laudationem pertinent; etiam cognoſci debet ratio univerſe extollendi ſcientiam, ac virtutem aliquam. Quam idcirco paucis hoc loco exponemus.

39. §. *Laus illa ſcientiæ aut virtutis universè ſpectatæ, petitur, tum ab honeſto, quo refer quoque glorioſum, & alia, quæ ſupra in facti laudatione attulimus ab utili, quo neceſſarium etiam, ac jucundum, pertinet: tum à facili vel difficili.*

Exemplo fuerit juriſprudentia, quam laudat Cicero primo de Oratore: idque ex quatuor his locis.

I. A facilitate, quando ait; *Si iſta eſſet cognitio juris magna, ac difficilis: tamen utilitatis magni-*

magnitudo deberet homines ad ſuſpiciendum diſcendi laborem impellere. Sed Scævola ipſe dicere ſolet, nullius ſibi artis faciliorem cognitionem videri. Qua ratione vero facile hoc ſtudium fiat deinde oſtendit.

II. A jucunditate. *Accedit*, inquit, *quo facilius percipi cognoſciq; jus civile poſſit (quod minime pleriq; arbitrantur) mira quadam in cognoſcendo ſuavitas & delectatio.* Hinc docet, ſuavitatē illam inde provenire, quod prodeſt multum ad notitiam antiquitatis, ſcientiæ civilis, philoſophiæ moralis. Item quod magnæ ſit voluptatis, videre, quantum Romani prudentia præſtiterint cæteris gentibus.

III. A neceſſitate. *His* inquit, *de cauſis dixeram, iis, qui perfecti oratores eſſe vellent, juris civilis cognitionem eſſe neceſſariam.*

IV. A dignitate, idque his verbis. *Jam vero ipſa per ſeſe quantum adferat iis, qui ei præſunt, honoris, gratiæ, dignitatis, quis ignorat?* Et quæ deinceps ſequuntur.

40 §. *Et talis quidem eſt laudatio abſoluta. Sed eſt præterea laudatio comparata; qua vel perſona cum perſona, vel factum cum facto, vel res cum re confertur; unumque alteri eſſe æquale, vel etiam præſtare, oſtenditur.* Vt ſi compares Alexandrum Magnum, ac Julium Cæſarem; Rempublicam Romanam ac Venetam. *Inſtituitur laudatio talis iiſdem ex locis, quibus laudatio abſoluta.*

Vide ſi voles quæ de hoc dicuntur in Progymnaſmatis cap. de Comparatione.

CAP. V.

CAP. V.

De Genere Deliberativo.

1. Sect. Sequitur *genus deliberativum, cujus orationes habebantur apud Romanos, in curiâ: apud Græcos, ad populum.*

Unde est, quòd genus hoc ab iis vocetur δημηγορικὸν: quemadmodum &, quia ὁι ἐκκλησία, hoc est *concione*, fidebat; ideo iisdem dicitur ἐκκλησιαστικὸν, q. d. *concionale*, sive, ut Agellus loquitur, *concionatorium*. Latinis rectè *suasorium* vocatur, non quâ ratione suadere, probare (quomodo ea vox omnibus convenit causis) sed quâ significat consilium dare, ut aliquid fiat; quomodo dicimus suadere conjugium, aut pacem.

2. Sect. *Materia in hoc genere sunt res contingentes, & positæ in nostra potestate: & quidem, quæ ad finem referuntur.*

De his enim, non de fine ipso, consultatur.

3. Sect. *Speciatim autem, si causa sit publica, quinque sunt, de quibus, juxta Aristotelem subeat institui deliberatio: vectigalia, bellum & pax, custodia regionum, ea quæ importantur & exportantur, & ratio ferendarum legum: quæ perspecta nobis esse oportet priusquam de consilio dando cogitemus.*

Optimè Tullius secundo de Orat. *Ad con-*

filium de rep. dandum caput eſt nôſſe Remp. Quæ verò in ſingulis quinque iſtorum ſcire debeamus, hoc ab Ariſtotele diſce in Rhetoricis *.

* Lib. 1. cap. 4.

4. Sect. *At in cauſis privatis certa materies ſpeciatim aſſignari non poteſt: cùm totidem de rebus poſſit conſultari, quot negotia in vita, & re familiari, occurrunt.*

5. Sect. *Loci in genere deliberativo ab Hermogene ponuntur ſex. Primus eſt* legitimum *: quod petitur, tum à jure ſcripto, ſub quo Chriſtiani ſacras quoq; literas comprehendunt; tum à conſuetudine.*

* Inartificialis.

Sed hic locus magis eſt ἄτεχνος *. Nam quid *legitimum* aliud eſt, quàm teſtimonium à lege? niſi quòd ſub lege etiam conſuetudo comprehendatur, quia legis vim habet.

6. Sect. *Alter locus eſt* æquum, *quo nomine continetur quoq;* pium. *Huc igitur refertur, quod promovet cultum divinum; quod parentum, affinium, civium charitatem ſpectat; adhæc omne id, quo gratia bene meritis refertur; quodq; ad diſciplinum civitatis pertinet, ut quo improborum frænatur audacia; item quo bonis ſignum ad bene ſperandum oſtenditur, & quæ hujuſmodi ſunt.*

Alii primum ſecundúmq; hunc locum atque adeò etiam quintum, qui ut poſtea dicam, eſt à glorioſo, honeſti appellatione deſignant: non male quidem, ſed ad uſum tamen accommodatius eſt, ſi loca iſta diſtinguantur.

7. Sect. *Tertius est* utile, *quod bifariam accipitur. Nam videndum est, tum quid futurum sit, si negotium suscipiatur; tum quid consecuturum, si negligatur. Ad prius pertinent, bonorum partorum conservatio, & non partorum comparatio; malorum præsentium depulsio, & imminentium evitatio. Ad posterius referuntur, bonorum partorum amissio, speratorum frustratio; malorum præsentium continuatio & imminentium certa expectatio.*

Exempli gr. si de arce propinqua hostibus dedenda consultetur, dissuadere eam poterimus octo his argumentis. Si arx servetur.

I. Commoditas portus retinebitur, & urbs tuta erat præsidio arcis, quæ in nostra sit potestate.

II. Etiam ex arce eâ propinquam hostium civitatem invadendi opportuna semper occasio fuerit.

III. Qui nunc contemnunt, atque etiam insultant, illi, ubi videbunt constantiam animi nostri, formidari discent.

IV. Evitabimus quotidianum hostilis militis cursitationem ante urbis nostræ portas, mala tot alia, quæ res ista secum trahere solet. Sin arcem dedamus,

I. Amittetur commodus adeo portus. nec amplius arcis præsidio tuti erimus.

II. Nec propterea pacem, quam aliqui sperant, cum hoste habebimus: aut saltem ea diuturna non fuerit.

III. Periculum quoque erit idem: ac paria, vel majora etiam damna nobis dabit hostis.

IV. Imo metus est, ne occasione prima urbem vel armis vel dolo capiat, ac tristem nos servire cogat servitutem.

8. S. *Sub utili autem continetur necessarium: quod ità utile est, ut sine eo res* nec esse *possit; unde & nomen. Sed prius ad aliquid ἁπλῶς utile esse ostenditur: deinde docetur, non utile modo esse, sed etiam necessarium.*

Estq; ingens hujus loci vis: multi enim animis sunt adeo segnibus, ut tum quoq; cum aliquid honestum, & utile esse, intelliguunt; tamen, si rescum magno sit labore conjuncta, facile terreantur. apud tales, necessitatis ratio est compendiosa ad persuadendum via. Ejusmodi est argumentum Ciceronis in IV. Philippica: Agitur enim, non qua conditione victuri; sed victuri ne simus, an cum supplicio, ignominiaque perituri.

9. Sect. *Etiam sub utili comprehendit Hermogenes* jucundum, *Nec peccant tamen, qui destinguunt.*

Nempe Hermogeni *utile* est omne id, quod propter aliud expetitur, sive id propter commodũ fiat, quod proprie *utile* dici solet: sive ob voluptatem, quod à juvando *jucundum* appellatur. Porro hoc quoque argumentum multum eos movet, qui, etsi viderint honestatem cum utilitate esse conjunctam; molestiâ tamen operis deterrentur. Ac propterea cum quid ἁπλῶς utile vel etiam necessarium esse, ostendimus: expedit, ut seorsum quoque

quoq; probemus aliquid esse jucundum. Ita dissidentibus, concordes ut esse velint suadebimus atq; etiam utilis: sed quia jucunda simul sit juxta illud regii vatis *Ecce quam bonum, & jucundum, fratres, habitare in unum.* A jucundo etiam est argumentum illud Tul. l. 3. ep. 11. *Hoc velim tibi persuadeas, si rationibus meis à te provisum esse intellexero, magnam te ex eo & perpetuam voluptatem, esse capturum.* Et hoc Anna ad Didonem.

Solane perpetuâ mœrens carpêre juventa.
Nec dulces natos Veneris nec præmia noris?

10. *Sect.* " Quartus locus est *possibile.* Frustra
" enim illud suademus, quod creditur fieri
" non posse. Ac propterea, si de hoc scru-
" pulus animo hæreat, ante omnia eximi is
" debet. Sub possibili autem continetur e-
" tiam facile. Nam eorum, qua fiunt, alia fa-
" cile, alia difficulter fiunt. Facile vero ali-
" quid fieri probatur ab occasione, & cir-
" cumstantiis.

Cur autem non honesto tantùm, ac utili, sed felicitatis quoque argumento pugnemus; liquet ex iis quæ diximus de jucundo.

11 §. *Sed siquid difficile sit, eo magis huic rei incumbendum, dicemus: quando nihil magni, sine sudore, aut periculo, præstatur.*

Huic pertinet vetus verbũ χαλεπὰ τὰ καλά.

12. §. *Quintus locus est* glorioſum *: quod plane eodem tractamus modo, quo utile. Dicimus enim, si res suscipiatur, gloriã præsen-*

tem conſervatum iri, nondũ acquiſitam poſſe comparari; infamia nos præſenti liberatum iri, & imminentem vitaturos. Sin ſecus à nobis fiat, infamiam præſentem permanſuram, imminentẽ eventuram; præſentem dignitatem emiſſum iri, nec ſperatam nos conſecuturos.

13. Sect. *Ad gloriam etiam pertinet, quod idem facerint alii, qui præclarum eo nomen ſibi pepererint. Sin nulli præiverint, hoc ipſum ad laudẽ referemus, quod primi, & ſoli, vel cum paucis, præclarum facinus aggreſſuri ſimus.*

14. Sect. *Sextus locus eſt* eventus: *qui dilemmate inſtituitur. Oſtenditur enim, in utramvis partem res cadat, utilitatem nos, ac gloriam propoſitam, adepturos. Ac locus iſte recenſetur poſtremus, non quia cæteris ſit levior, ſed quia pleriſque omnibus eſt firmior.*

Porrò ex univerſis locis iſtis in una eademque cauſa peti poſſunt argumenta. Vt in cauſa illa, an Pompejus bello ſit præficiendus Mithridatico. Ad hoc enim ſuadendum, conducit argumentum *à legitimo*: ut cum Cicero oſtendit, non eſſe contra conſuetudinẽ, ut omnia ad unum deferantur. *Ab æquo* item, quia juſtũ erat, ut debitus honor tribuetur Pompeio. *Ab utili*, quia hæc res, prodeſſet ad converſionem vectigalium, & defenſionem ſociorum. *A poſſibili*, qui etſi bellum erat difficillimũ, utpote in quo ſe conjungerent duo reges potiſſimi, ab eo tamen confici poſſet, qui tot, & tanta, terra marique geſſerat, quot quantaque in oratione Maniliana commemorantur de Pompeio. *A glorioſo*; quia Romani eo ex bello maximum ſibi decus, & honorem

rem erant reportaturi, ac deleturi infamiam ſibi a Mithridate antea inuſtam. *Ab eventu*, quia ſive Romani Mithridatem vincerent, ſive non vincerent, utile & glorioſum ſit futurum Romanis contra eum bellũ ſuſcepiſſe.

15. Sect. *Quemadmodum verò in genere demonſtrativo ei qui perſonam aut factum aliquod laudat, digredi licet in locum communem: ita in genere deliberativo non rarò fit, ut hypotheſis transferatur ad theſin, Eaq; res, tum ad probandũ, tum ad amplificandũ, plurimùm valet.*

E. G. Si quæſtio ſit ſpecialis ac finita, an Lacedæmonii urbẽ ſuam, Perſis adventantibus, cingere debeant muris: licebit univerſè agere quæſtione hac, an urbes muris cingere utile ſit.

16. Sect. *Ceterùm ut argumentis magis abundemus; tum in theſi, tum in hypotheſi tractandâ, meminiſſe ejus oportet, quod ſuperiùs dicebamus *, præter locos Rhetorum ſpeciales, etiam conſuli debere locos Dialecticos. Ex quibus in hoc genere maximè iſti frequentantur, locus à proprio adjuncto, ab affectis, ab antecedentibus, connexis, conſequentibus, à majori vel minori, à contrario, ab exemplo, à teſtimonio. Dici autem vix poteſt, quantam in perſuadendo vim habeant exempla. Interim videndum, ne ita hæc condenſemus, ut iſtis penè ſolis conſtare videatur oratio. Curandum etiam, ut exempla illa ſimilium ſint. Neque enim aut tyranni, bonorum regnum; aut plebeii, Patrum moventur exemplis.*

* Cap 2. Sect. 34.

Pleniùs hæc declarat Theo de Thesi tractans. Nam primum agit de locis specialibus : ut sunt honestum, sive laudabile & gloriosum, quod petitur è loco Dialectico proprii adjuncti : item utile,& jucundum quorum utrumque partim ad adjuncti propria, partim ad effecta pertinet : adhæc necessarium, quod utilis species est : nec non facile, quod ex circumstantiis adstruitur. Ibidem monet,ad locos istos etiam pertinere,*quod tale,ut tutus præstare possit,quodq;in causa futurũ sit,ut res meliores fiant ; quod ejusmodi, ut, nisi fiat,pœnitentia sit consecutura;neque facilè,quod neglectum fuerit compensari possit.* His ita expositis, de generalibus Dialecticorum locis ista subjungit. *A contrario autem sic: Nam si contrarium fieri non debet, hoc fieri debebet : & contrarium si turpe,hoc honestum erit:& si inutile illud, hoc utile:& contrarium si injucundum,hoc jucundũ.* Ac *eodem modo à simile quoque. Si enim appetendum est simile, utique & hoc. Itidem à minore, & à Majore : & parte, & à fine,cujus ratione aliquid appetitur. Si enim finis expetendus est, etiam id quo ad illum pervenitur,appeti debet. Post hæc ex iis,quæ res continet : ut quòd multa complectatur honesta, aut utilia,aut jucunda. Tum & ab antecedentibus negotium,& ab adjunctis,ac deniq; à consequentibus quoq; argumenta ducemus. Quod si quis jam majores fecerit progressus,is in singulis locis supradictis arcesset quoq; testimonia virorũ illustrium;uti poetarum,politicorum,philosophorũ. Nec non & historiæ, si quæ congruunt, cum iis,quæ memorantur,referenda erunt:haud sparsim tamen,nec temerè;sed ita ut ãplificati-*

one

one instituatur oratio adductis exemplis, primum corũ quæ singuli privatiq; egerint: deinde quæ princeps aut rex; postea, quæ civitas, postremò, quæ in totis regionibus, aut gentibus extiterint. In quo & hoc cavebitur ne oratio historiis poematisvè repleatur. Hæc de Thesi quidem dicuntur à Theone: sed peroratio est in hypothesi. Solum hoc hypothesis differt, quod argumentis Theseos universalibus aliquid superaddat ex accidentibus personæ, vel rei singularis, de qua consultatur, ut ita generalia ad individuum, ac certas loci & temporis circumstantias restringantur. Quamobrem & huic generi deliberativo non parum lucis accesserit ex iis, quæ in Progymnasmatis de Thesi dicuntur; & vicissim ex iis, quæ nunc adduximus, illa de Thesi accipient lucem.

15. *Sect.* " Quemadmodum autem in genere
" demonstrativo præter laudationem ab-
" solutam, altera etiam est, quæ compara-
" ta vocatur; ita quoq; in genere hoc de-
" liberativo, interdum quæritur absolute,
" ecquid honestum sit aut turpe; utile,
" an inutile: interdum comparate, uterum
" utilius, honestiusque sit. At quomodo
" unum altero utilius, vel honestius esse
" probetur, constat ex iis, quæ in Topicis
" de comparatione docentur.

Ubi Aristoteles * monet, id quod diutur- * l. 1. Top. 21. & bes.
nius ac stabilius, est item quod sapientioribus brobatur, aut qd melioribus artibus paratur, aut quod per se & simpliciter bonum est, aut quod melioribus, & honoratioribus inest, aut quod majoris boni causa

est, & similia omnia, præferri illis, quæ non sunt hujusmodi.

18. Sect. *Imo interdum fit, ut ex una parte consilii honestas, ex altera pugnet utilitas.*

Ut si deliberet Scipio, num in Italia permanere, an in Africam cum exercitu transmittere velit. Nam utile videbatur, si classem in Africam transveheret; sed turpe esse dicebatur declinare Hannibalis præsentiam, atque vastandam ei Italiam relinquere.

19. Sect. *In ejus generis quæstione, si quod utile est, suademus, præcipuè laborabimus, ut hoc probemus; deinde ostendemus, etiam honestum vel saltem non inhonestum, esse. Sin pro honesto pugnemus, hoc prius, quantum possumus asseremus; ac deinde etiam, utile id esse vel saltem non inutile, demonstrabimus.*

Monet idem quoque Emporius, præceptis de specie deliberativa.

20. Sect. *Quod si negotium nobis sit cum iis, qui honestate parum moveantur, imo nefandum aliquid in animo habeant, ac tale hoc esse ipsi sciant; magna omnino prudentia opus est, ut apud quos dicemus, serio nos sui cura tangi arbitrentur. Sanè convitiis nihil proficiemus, neque enim consilia illorum moramur, à quibus nos credimus contemni.*

Atque hæc sufficiant de genere deliberativo. Cui subjiciuntur quoque, oratio petitoria, consolatoria, ac quædam aliæ. sed quomodo

do hæ debeant tractari, libro proximo commodiùs ostendemus.

CAP.

De Genere Juridiciali, ac universè de statibus.

1. *Sect.* " Generis δικανικῦ, sive juridicia-
" lis, loci variant pro statuum varietate.
2. *Sect.* "Status, qui Græcè στάσις, est quæstio
"ex primâ causarū profligatione proveniens.
3. *Sect.* " Habet autē locum in omnibus cau-
" sarum generibus, sed hîc de eo imprimis
" tractabimus, quà pertinet ad genus Ju-
" ridiciale.
4. *Sect.* " Nascitur vero ex accusatoris in-
" tentione, quæ Græcis προβολὴ vocatur
" & defensoris depulsione, quæ iisdem est
" ἀντιπροβολή. Cæteræ quæstiones dicun-
" tur incidentes, inter quas primum sibi lo-
"cum vendicat τὸ κρινόμενον sive judicato.
5. *Sect.* "Resultat κρινόμενον ex αἰτίῳ sive
" ratione defensoris, & συνέχοντι sive con-
" tinente, hoc est accusatoris firmamento.

Exemplo hæc illustrabo, Clodianorum intentio est, Clodium occidit Milo. Milonis depulsio est: Occidi, sed jure occîdi. Status est, Juréne an injuriâ. Clodium occiderit Milo. Ratio Milonis est, Iusidiatorem Jure licet interficere. Continens, sive firmamen, tum Clodianorum est, Clodius non struxit insidias, nec fas est occidere civē indemnatum. Judicatio est, An Clodius Insidias

struxerit

ſtruxerit Miloni, &, An quapiam de cauſa interimi poſſit civis indemnatus.

Quod ſi hinc ſyllogiſmum exſtruamus, cognoſcemus, ſtatum incidere in concluſionem, judicationem, in aſſumptionem.

E. G. Inſidiator jure interficitur.
Clodius fuit inſidiator.
Ergo jure interfectus eſt.

Status eſt, an Clodius jure ſit interfectus, quod concluſione colligitur: Judicatio an fuerit inſidiator, quod in aſſumptione ponitur. Nec id tantum in Juridiciali; ſed in aliis etiam cauſarum generibus locum habet. Ut in deliberativo; Magno & neceſſario bello præfici debet optimus imperator. Bellum Mithridaticum eſt magnum & neceſſarium, & Pompeius eſt optimus imperator. Ergo Pompeius eſt præficiendus bello Mithridatico.

Eſtque hic primarius ſyllogiſmus orationis pro lege Manilia. Ac ſtatus in ea eſt, an Pompeius ſit præficiendus bello Mithridatico. Judicatio, an Mithridaticum bellum ſit grave adeò; item, an Pompeius tantus ſit Imperator.

Itidem ſit in genere Demonſtrativo, cujus ſpecies eſt gratiarum actio. Ut in oratione pro Marcello; ea eſt Cæſaris maxima laus, quæ etiam ſuperat gloriam armis partam. At hæc laus, quam conſecutus eſt ignoſcendo M. Marcello, ſuperat gloriam armis partam. Ergo hæc eſt maxime è Cæſaris laudibus. Ubi itidē concluſio ſtatū indicat, aſſūptio judicationē.

6 Sect. *Status eſt quadruplex. Conjecturalis, Finitivus, Qualitatis, & Quantitatis.*

Ex

Ex quibus malè vulgò prætereunt ſtatum Quantitatis.

7. Sect. *Status conjecturalis eſt, quo quæritur, ecquid fiat, factum ſit, aut futurum.*
8. Sect. *Finitivus eſt, quo de nomine rei conquiritur.*
9. Sect. *Qualitatis ſtatus eſt, quo quæritur, quale ſit factum.*
10. Sect. *Quantitatis dicitur, quo de magnitudine rei diſceptatio eſt.*

Ita conjectura eſt, an Cato, cum de conjuratis diſceptaretur, omnium ſe oppoſuerit ſententiis. Finitivus eſt, ſit ne ea conſtantia dicenda, an pertinacia. Qualitatis, num laudabile id fuerit factum, an non. Quantitatis, an ſingularem eo laudem mereatur.

11. Sect. *Eſt autem unius orationis interdum ſimplex, interdum multiplex ſtatus.*
12. §. *Simplex, ut ſi haud aliud quæratur, quàm jurenè, an injuriâ, Clodium occiderit Milo.*
13. Sect. *Multiplex vero, vel eſt ejuſdem generis, vel diverſorum.*
14. Sect. *Ejuſdem, ut cùm quæritur, an Verres pecuniam acceperit à Leonida, ab Apollonio, & à Mamertinis. Eſt quippe hic triplex conjecturalis.*
15 Sect. *At diverſorum generum eſt, cùm quis fatetur, ſe interemiſſe hominem: at non ſpoliâſſe pecuniâ. Prior enim eſt ſtatus Qualitatis; poſterior Conjecturalis.*

Nam priori quæſtio eſt, an, qui fatetur ſe interemiſſe, jure interemerit. Poſteriori, an ſpoliaverit alterum. 16 Sect.

16. *Sect.* " Ceterùm, quot modis variat ſta-
" tus, totidem & judicatio diſtribuitur. At
" utriuſque eadem eſt tractandi ratio.

Itaque deinceps, idque non ſine veterum exemplo, laxiùs ſtatus voce utentes, ſub eâ etiam judicationem comprehendimus, atque adeò quemvis queſtionem incidentem. Par enim omnium ratio eſt, ut diximus.

CAP. VII.

De Statu Conjecturali.

1. Sect. " *Status conjecturalis* ita dicitur,
" quia conjectandum eſt judici, numquid
" factum ſit. Idem alio nomine *inficialis*
" vocatur, quia reus hic ſolâ ſe inficiatione
" tuetur.

Unde liquet, ratione judicis *conjecturalem*, ratione rei, *inficialem* nuncupari.

2. *Sect.* " Status hic vel ἁπλῶς quærit de
" facto, ut an * *Cælius parârit Clodiæ vene-*
" *num*, vel cum modo, ut, ecquid eo animo
" factum ſit: quale fuerit, *cur quis fleverit*
" *arcem contemplatus.*

* *Apud Cic. pro Cæl.*

Habet etiam diſtinctio hæc locum, quatenus ſtatus iſte deliberativo generi inſervit. Ut quando, quid facto opus ſit, conſtitui debet pro animo hoſtium, qui, cujuſmodi ſit, conjecturâ eſt indagandum. Ita vel citra modum quæri poteſt, *an princeps quiſpiã, qui hoſtili*

ſtili in nos animo eſt, exercitum conſcribat: vel cum modo, hoc pacto, *utrum id faciat, ut bellum inferat nobis.*

3 Sect. *Eſt item ſtatus hic, vel ſimplex, vel comparatus. Simplex eſt*, an Roſcius occiderit patrem: *item*, an Milo inſidias ſtruxerit Clodio. *Comparatio autem fit hoc pacto*: Roſciuſne patrem occiderit, an qui accuſant. Clodiuſne Milo inſidias ſtruxerit, an Milo Clodio. *Tractandi ratio utrobiq; eadem eſt.*

4. Sect. *Eſſe vero aliquid factum, trifariam probatur. primum quia quis voluit, & potuit.*

Conjungit utrumque poeta, ut oſtendat Helenen à Theſeo violatam fuiſſe *.

Ajuvine, & cupio, credatur reddita virgo.

* *Ovid. epiſt. Oenones ad Paridem*

5. Sect. *Voluntas probatur partim à cauſis antecedentibus factum, partim à ſignis voluntatis.*

6. Sect. *Cauſæ antecedentes ſunt, vel impulſivæ vel ratiocinativæ.*

7. Sect. *Impulſio affectiones comprehendit, quæ cauſæ efficientis locum obtinent: ut ſunt ira, odium, amor, inimicitiæ, invidia: &c.*

Ita veriſimile eſt, nos iis male velle, aut qui majorib. aut nobis, aut amicis male fecerunt.

8. Sect. *Ratiocinatio petitur è cauſis finalibus ut à ſpe commodorum.*

Incommodare enim illis homines ſolent, quos ubi damno affecerint, honore vel opibus augentur,

augentur, aut voluptates suas facilius possunt explere. Uti & quando, damnum aliis dando, gratificantur, sive amicis, sive iis, quibus sunt admirationi, sive moribus ac deliciis suis, sive dominis, sive illis in quorum sunt potestate.

9. §. *Tractatur locus hic ab utili octo istis modis, quos assignavimus in genere deliberativo.*

Nam quibus argumentis in suadendo ostendimus, utile aliquid esse; iisdem in accusando monstramus, utilitatem redundasse ad reum, ac propterea illud, cujus arguitur, facere voluisse.

10. Sect. *Huc etiam pertinet, quando majus est emolumentum, quam damnum.*

Nam facile peccant, quibus injuria lucro est; at pœne ignominiæ duntaxat.

11. Sect. *Item cum quis opinatur nihil se damni amplius facere posse.*

Vt qui bona nulla habent, quæ amittant, aut qui existimationis suæ jacturam jamdiu fecerunt.

12. §. *Sed imprimis magnum præbent voluntatis argumentum impunitatis spes. Nam injuriam facere solent, qui fore sperant, ut facinus lateat, vel, ut latere non possit, pœnas tamen effugere se posse, vel saltem efficere, ut pœna differantur in longum tempus, aut*

aut leviores irrogentur, quam lex imperat.

Fore, ut facinus lateat, credunt illi, qui antehac flagitia ſua occultârunt ſæpius: quique à criminis ſuſpicione videntur longiùs abeſſe : nec enim facilè creditur, ab inermi occiſum armatum: vel à paupere, & deformi, commiſſum eſſe adulterium, præſertim cum divite, & formoſâ : vel prodere aliquem voluiſſe Rempublicam, in quam cùm ſua, tum majorum, multa magnáque merita extarent.

At vel nunquam, vel ſerò, vel non ita graviter, pœnas ſe ſubituros arbitrantur, quibus antehac deliquiſſe impune fuit: quique facundiâ pollent, aut qui judices habent ſibi addictos, aut corrumpere eos poſſunt, aut amicos habent potentes.

Nec ex nobis tantum, aut noſtris, impunitatis fiduciam concipimus : ſed etiam ex conditione eorum, quos læſimus. Ut ſi negotium ſit cum iis, quos multi oderunt, aut quibus invident multi, aut qui eodem injuriæ genere afficere alios ſolent ; quales, etiam habiti indignè, dignam tamen retuliſſe mercedem exiſtimantur, item ſi amicitiâ iis juncti ſimus, quos læſimus. Nam rarò amici item intendunt, eò quod communium ferè amicorum interventu iræ ac jurgia ſopiantur. Item quibus non expedit litem proſequi: ut ſunt peregrini, & qui victum ſuâ ſibi parant induſtriâ, nam tales facilè tranſigunt, & pauxillo placantur, item quos ea pudet referre, qui injuriam acceperunt. Nam quoruſquiſque eorum, qui verè poſſint, cõmemorare

re velit, ſtuprum eſſe illatum filiæ ſuæ, vel uxori? item ſi vulgò judicetur levis eſſe injuria, & quam ignoſcere omnes ſoleant, niſi qui lites ſerere amant: item qui inertes ſunt, ac deſides, quia judicio eos experiri piget: quique ſunt verecundi, quia tanti illis pecuniæ non ſunt, ut propterea judicio contendant: vel qui ab illis injuriâ ſunt affecti, nec eos in jus vocarunt. Similiter enim erga nos animatos fore ſperamus. Vel qui infamiâ laborant: nam iſtis non creditur. Item qui dicendo nihil valent, aut qui amicis deſtituuntur, & ſiqui his ſimiles ſunt.

13. Sect. *Cùm vero diverſi ſint hominum mores: ut faciliùs fidem inveniamus, ob oculos poni debet qualitas perſonæ, ſive ingenium hominis, tum ejus, qui injuriam fecit, tum qui illâ eſt affectus.*

De iſto judicamus ex *natione*; quia moribus aliis Græci ſunt, quàm Barbari; illi quàm Germani: deinde ex *genere*, quia liberi majorum ſimiles eſſe ſolent: tum etiam *ſexu*, quia non eodem modo judicant fœminæ, ac mares, item *educatione*, quæ plus etiam, quàm genus, poteſt; præterea *habitu* corporis, quia in formoſâ faciliùs creditur adulterium, in robuſto violentia: inſuper *vita anteacta*, ubi conſideratur, num quis in idem antea delictũ inciderit, aut ſuſpicionem ejus ſaltem, nec non ex *ætate*, quia alia aliis annis conveniunt, item ex *amicis*, quibus quis utitur: tum autẽ ex *vita genere*, cum diſpar ratio ſit agricolæ, ac militis; mercatoris, quàm philoſophi: denique ex *ſtudio*, ſive pecuniæ, ſi ſit avarus; ſive voluptatis,

voluptatis, si sit luxuriosus; sive honoris, si sit ambitiosus.

14 Sect. *Prater causas voluntatis, etiam signa ejus considerantur, cujusmodi sunt dicta factaque alicujus.*

Vt si quis minatus fuerit cædem.

15. S. *Et hæc de loco voluntatis. Facultas autem probatur ex circumstantiis, tum personæ, rum rei. Ex personæ circumstantiis id trifariam fit: nempe pro triplicibus bonis, animi, corporis, & externis. Itaque hic considerantur vires corporis, animi promptitudo, copiæ, opes. At rei circumstantiæ sunt, locus & tempus, quæ occasionis nomine comprehendimus: item alia, quæ ad naturam rei pertinent*

Exempli gratia, *Potuit hic alterum occidere, quia validior fuit, & armatus, & habuit locum opportunum, sylvam, & tempus idoneum, nocturnum.* Estque utile hic considerare, quos lædere sit in proclivi. Sanè magis sunt obnoxii injuriæ, qui longe absunt, eo quod tardè pœnas sumant: quam qui prope habitant, quia vicinitas loci facilitatem inferendæ injuriæ adfert: qui parum sunt cauti, quia sua non custodiunt: qui amici sunt, quia sibi non cavent: quos nunquam antea violavimus, quia non metuunt sibi: quos crebrò violavimus, qui tales non ultra se læsum iri putant: & alii similes istorum. Atque hæc de ratione prima, quæ voluntate, facultate, tanquam partibus, constat.

6. Sect.

16.§. *Altera conjecturam abstruendi ratio petitur à facti signis. Quæ triplicia sunt, alia antecedentia, alia concomitantia, alia consequentia.*

Ita cædem alicujus minæ antecedunt, comitantur clamor, consequuntur fuga, pallor, aliaque. Sed signorum istorum haud par ratio est. Nam signum antecedens, (ut quod quis cædem sit comminatus) potius voluisse probat quam fecisse: unde & in voluntatis locis superius reponebamus. Ex iis autem, quæ facti sunt circumstantiæ, vel effecta, non solum voluisse aliquem, sed etiam fecisse, colligitur, Vt si dicatur quis post horrendum in ædibus exauditum clamorem, statim se propripuisse domo; ac pallentem & consternatum reprehensum esse in fuga.

17. Sect. *Tertia asserendi ratio est per testes, rumores, tormenta, & similia.*

*Inartificialibus.

De quibus in locis ἀτέχνοις * dicemus.

18.§. *In defensione autem hæc omnia refelluntur. Quæ enim adducebantur ad monstrandum aliquem voluisse: ea aut vera esse negabimus, aut contendemus esse levia adeo, ut ex illis de re tanta non debeat judicari.*

19.§. *Sed imprimis magnam habet vim* τὸ ἀπίθανον, *sive* incredibile: *ut cum dicitur, fidei absonum videri, id voluisse aliquem loco temporeque alieno, qui id sæpe potuerit occasione multis partibus meliori.*

20.§. *At facultatem defuisse ostendimus, quia non*

non illa nobis suppetant vires, aut quia non fuerit locus opportunus, aut tempus idoneum. Quod si facultatem fuisse; negari non possit: insistemus argumentis, quibus non voluisse comprobetur.

21. Sect. *Pleraque etiam signa, tam à reo, quam actore adducta, non difficulter eluduntur. Vt si pro reo adferatur, quod non extimuerit: dicet adversarius, secum fuisse præmeditatum omnia, eoque locutum confidentius. Sin actor extimuisse dicat; atq; id facinoris patrati argumentum esse volet: dicere poterit, non se peccati conscientia, sed periculi magnitudine territum fuisse.*

Illustre conjecturalis status exemplum habemus in Milonianâ. Nam etsi principalis status, sit, Juréne Clodium occiderit Milo: tamen incidentem hunc: num Milo insidias struxerit: Clodio, ita luculentè tractat, ut status is videri possit principalis.

Clodium vero Miloni fuisse insidiatum, ostendit Cicero variis argumentis: ac primum iis, quæ à voluntate ducuntur. Inter ista primum obtinent locum causæ ratiocinativæ. Has tractare incipit mox post Narrationem. Ipsum audiamus Tullium: "Quoniam igitur "pacto probari potest, insidias Miloni fecisse "Clodium? satis est quidem in illa tam auda-"ci, tam nefaria bellua, docere, magnã ei cau-"sam, magnam spem, in Milonis morte propo-"sitã, magnas utilitates fuisse. Itaq; illud Cassi-"anũ, *cui bono fuerit*, in his personis valet: etsi boni nullo emolumento impelluntur in fraudẽ, improbi sæpẽ parvo. atqui Milone interfecto,

cto Clodius hoc assequebatur, non modo, ut prætor esset non eo consule, quo scelerisnihil facere posset: sed etiam, ut his consulibus prætor esset, quibus, si non adjuvantibus, ac conniventibus, certè sperâsset se posse rem publicam eludere in illis suis cogitatis furoribus: cujus illi conatus, ut ille ratiocinabatur, nec si cuperent, reprimere possent, cum tantum beneficium ei se debere arbitrarentur: & si vellent, fortasse vix possent frangere hominis sceleratissimi corroboratam jam vetustate audaciam.

Post ista excurrit orator, ut invidiam conflet adversario. Quam digressionem claudit illis verbis: *non modo igitur nihil prodest, sed obest etiam P. Clodii mors Meloni.*

Hinc explicat causam voluntatis, impellentem: odium nempe, & vindictæ desiderium: quas causas à milone in Clodium retorquit. *At, inquit*, valuit, odium fecit iratus, fecit inimicus, fuit ultor injuriæ, punitor doloris sui. Quid si hæc, non dico majora fuerunt in Clodio, quam Milone, sed in illo maxime, nulla in hoc? quid vultis amplius? quid enim odisset Clodium Milo, segetem ac materiam suæ gloriæ, præter hoc civile odium, quo omnes improbos odimus? ille erat, ut odisset primum defensorem salutis meæ: deinde vexatorem furoris domitorem armorum suorum: postremò etiam accusatorem suum; reus enim Milonis lege plotiâ, fuit Clodius, quoad vixit. Quo tandem animo hoc tyrannum tulisse creditis? quantum odium illius, & in homine injusto, quam etiam justum?

Tractat hinc tertium voluntatis locum, nempe

nempe qualitatem perſonæ, ſive ingenium hominis: quod quale fuerit oſtendit ex conſuetudine, & vitâ anteactâ, cujus ſcelera plurima enumerat. Incipit hic locus ab illis verbis: *Reliquum eſt, ut jam illum natura ipſius, conſuetudoq; defendat: hunc autem hæc eadem coarguant, nihil per vim unquam Clodius, omnia per vim Milo.* Definit autem iſtis verbis. *Quid ſimile Milonis? cujus vis omnia hæc ſemper fuit, ne P. Clodium, cum in judicium detrahi non poſſet, vi expreſſam civitatem teneret.*

Sequitur continuò quartus voluntatis locus τὸ ἀπιθανὸν, ſive *incredebile*. Nam oſtendit, parum credebile eſſe, Milonem tot neglectis occaſionibus, quibus commodè adeò poſſet Clodium occidere nunc id ſtuduiſſe, in quo loco, alieno tempore, in tanto capitis periculo; præſertim cum ampliſſimum conſulatus honorem petierit; & dies cõmitiorum ſubeſſet; quo quidem tempore (ut Tullii verba reſervem) *omnia, non modo, quæ reprehendi palam, ſed etiam, qua obſcurè cogitari poſſunt, timemus; rumorem, fabulam fictam, falſam perhorreſcimus; ora omnia, atque oculos intuemur.* Eâque occaſione digreditur in locum communem *Nihil enim*, inquit, *eſt tam molle, tam tenerum, aut tam fragile, aut flexibile, quàm voluntas erga nos, ſenſuſq; civium: qui non modo improbitati iraſcuntur candidatorum, ſed etiam in rectè factis ſæpe faſtidiunt.* Poſt pauca concludit hoc argumentum iſtis verbis; *Quam hoc non credibile in hoc? quàm idem in Clodio non dubitandum, qui ſe, interfecto Milone, regnaturum putaret.*

Iſtis ſubjungit quintum atgumentum, impunitatis

punitatis ſpem. *Quid*, inquit, *quod caput audaciæ eſt, judices quis ignorat, maximam illecebram eſſe peccandi impunitatis ſpem? In utro igitur hæc fuit ? in Milone ? qui etiam nunc reus eſt facti, aut præclari ut certè neceſſarii, an in Clodio ? qui ita judicia, pœnamq; contempſerat, ut eum nihil delectaret, quod aut per naturam fas eſſet, aut per leges liceret.*

Exinde tractat ſextum argumentum: nempe ſigna voluntatis, ut ſunt dicta factaq; Clodii, *Sed quid*, inquit, *ego argumentor ? quid plura diſputo ? te, Q. Petilli appello optimum & fortiſſimum civem : te, M. Cato, teſtor : quos mihi divina quædam ſors dedit judices. Vos ex M. Favonio audiſtis, Clodium ſibi dixiſſe, & audiſtis vivo Clodio, periturum Milonem triduo, poſt diem tertium geſta res eſt, quàm dixerat. Cùm ille non dubitaret aperire, quid cogitaret, vos petiiſtis dubitare, quod fecerit ?* Qui locus extenditur uſq; ad iſta verba, *Quid ſi, ut ille ſcivit, Milonem fore eo die in via.*

Hinc ſequitur, quam Hermogenes vocat ἀπαίτησιν τῶν ἐλέγχων, id eſt *probationum poſtulationem*. Ac priùs quidem orator inquirit adverſus ſe: deinde refellit adverſariorum teſtimonia, uſque ad illa verba. *Nunc perſequar cætera*. Ubi objectioni occurrit, quòd Clodius non fuiſſet exiturus è villa, niſi nunciatum ei fuiſſet de morte Cyri. Ait autem Cicero illum, qui dicitur de Cyri morte nunciâſſe, non id nunciâſſe, ſed Milonem appropinquare. Quod deinceps pluribus adſtruit. Ac veriſimilem quoq; defenſionem adjungit, quòd etiamſi illud denunciatâ Cyri morte verum eſſet; non tamen eâ horâ profecturus

cturus fuerit é villa, nisi de insidiis cogitasset, incipit hæc pars inde: "Age, si ita factū, quæ causa, cur Romam properaret? cur in noctem se conjiceret? Tandem hoc caput de voluntate sic concludit per ἀναχεφαλαίωσιν sive brevē eorum enumerationem, quæ dixerat: "Video adhuc constare omnia, judices: Miloni etiam utile fuisse Clodium vivere; illi ad ea, quæ concupierat optatissimū interitum Milonis fuisse: odium illius in hunc acerbissimum; in illum, hujus nullum: consuetudinem illius perpetuam in vi inferenda; hujus tantum in repellenda mortem ab illo denunciatam palam Miloni: & prædicatam; nihil unquam auditum ex Milone: profectionis hujus diem illi notum: reditum illius huic ignotum fuisse: hujus iter necessariū; illius etiam potius alienū: hunc præ se tulisse, se illo die Romæ exiturū; illum eo die se dissimulasse rediturum: hunc nullius rei mutasse consiliū; illum causam mutandi consilii finxisse; huic si insidiaretur, nocte propeurbē expectandū: illi, etiamsi hunc non timeret, tamen excessū ad urbem nocturnum fuisse metuendum.

Sequitur hinc alterum caput, quod est de Facultate. Potuisse autem Clodium insidias struere Miloni, trifariam probat Cicero. Ac primum à loco opportuno. "Videamus "nunc, *inquit*, id quod caput est: locus ad "insidias ille ipse, ubi congressi sunt, utri "tandem fuerit aptior. Id vero judices etiam "dubitandum, & diutius cogitandum est. An- "te fundum Clodii, quo in fundo, propter "insanas illas substructiones, facile mille "hominum versabatur valentium, &c.

Paulo post idem sic adstruit à comitibus, ac habitu utriusque. " Si hæc non gesta au-"diretis, sed ficta videretis: tamen appareret " uter esset insidiator, uter nihil cogitaret " mali, cum alter veheretur in rheda penu-" latus: una sederet uxor: quid horum " non impeditissimum? vestitus, an vehicu-" lum, an comes? quid minus promptum ad " pugnam? cum penula irretitus, à rheda im-" peditus, uxore pene constrictus esset.

Idem sic ostendit à tempore, " Videte " nunc illum, primum egredientem è villa su-" bito. Cur vesperi? quid necesse est? qui " convenit, presertim id temporis? Divertit " in villam Pompeii Pompeium ut videret? " Sciebat in Alsiensi esse. Villam ut perspice-" ret? miles in ea fuerat. Quid ergo erat moræ " & tergiversationis? dum hic veniret, lo-" cum relinquere noluit.

Continuo istis opponit Claudii habitum, ac comitatum, idque his verbis: " Age nunc " iter expediti latronis, cum Milonis impe-" dimentis comparate. Semper ille antea cum " uxore; tum sine ea, nunquã non in rheda: " tum in equo comites Græculi, quocunque " ibat, etiam cum in castra Etrusca propera-" bat; tum nugarum in comitatu nihil. Milo " qui nunquam tum casu pueros symphonia-" cos, uxoris ducebat, & ancillarum greges. " ille, qui semper scorta secum semper exo-" letos semper lupas ducebat, tum neminem, " nisi ut virum à viro lectum esse diceres. Post quæuni alterique respondet, quod con-tra hæc posse objici videbat.

CAP.

CAP. VIII.

De Statu finitivo.

1. Sect. Statu *Finitivo*, ut ex iis liquet, quæ superius dicebamus. *quæritur, an omnes adsint conditiones, quæ requiruntur, ut nomen quodpiam rei aut facto tribuatur; an vero quippiam etiamnum desit.*

Ita In oratione pro Cæcinna quæstio est, *num dici possit, ei vim factam esse, qui tantùm armis fuerit perterritus, qua minus fundum ingrederetur: an insuper ad id requiratur, ut quis vi fuerit ejectus.* Similis fuerit ratio in causa M. Bruti, & C. Cassii, qui Julium Cæsarem occiderunt. Quæritur enim, *an cum illi qui populo præsunt, debeant patres esse patriæ, eo quisquis principem sustulerit, parricida debeat haberi: an præterea exigatur, ut princeps iste subditorum studuerit commodis. Sin, quo jure, qua injuria omnia egerit; an non, qui interemerit hunc verius fuerit tyrannicida.*

2. Sect. *Status hic quinq; potissimùm capitibus tractatur. Primum est definitio actoris, & opposita ei definitio à reo.*

3. Sect. *Alterum caput similiter constat, tum collectione actoris, qui parem esse rationem contendit, sive quid exprimatur, sive intelligatur: tum solutione rei, qui multum ait referre, ecquid addatur, necne.*

4. S. *Tertium est sententia legislatoris: quanquam hoc caput sæpius non incidat. Sed si locum*

habeat, aliam actor, aliam reus, legis esse sententiam dicit. Licebit verò ei, qui lege nititur, excurrere in laudem, tum legislatoris, tum legis; quorum utrumque qua ratione fiat, ex octavo, & ultimo progymnasmate constat. Sin lex sit nulla, videndum, an locum ejus supplere possit consuetudo.

5. Sect. *Quartum caput est quantitas, quia accusator exaggeret, quod est commissum, reus ostendit, quanti sit momenti illud, quod est omissum.*

6. Sect. *Quintum caput est comparatio, qua conferuntur, id quod factum, quodque infectum. Actor dicit esse gravius, quod reus fecit, quàm quod non fecit. Reus asserit, majores fieri debere, non facto deest, quàm quod factum est.*

Ut si quæratur, ecquis vim commiserit: sicuti fit in oratione pro Sextio. Definitio actoris, quæ Græcis ὅρος dicitur, talis erat; *Convocare homines armatos, eosq; in foro collocare contra tribunum plebis, omnino est vim facere.* At reus ex eo, quod deest, ostendet, *non esse crimen plenum*; nempe quia neminem læserit. Vocatur hoc ἀνθορισμὸς.

Sequitur hinc συλλογισμὸς, sive collectio. Et actor quidem dicit etiamsi armati illi pulsârint neminem, terrorem tamen injeciſſe: nec multùm inter ista distare. At reus contendet multùm referre, numquis læsus sit, an territus duntaxat.

Tertius locus est γνώμη νομοθέτου, sive sententia legislatoris. Fingamus legem fuisse ejusmodi: *Qui militĕ armârit adversus magistratûm,*

stratum is vim feciſſe damnatus eſto. Eam legem recitari jubebit actor, ſingulaſq; ejus particulas excutiet. Etiam licebit, tum legem laudare, tum eum qui tulit. At provocavit reus à verbis ad ſententiam legis. Negabit enim, hanc fuiſſe mentem legiſlatoris, quaſi vim fieri putârit, ſiquis militem cogat, vel tuendi ſui cauſâ, vel ut adverſus ſeditioſum tribunum Remp. defendat. Ac propterea in talibus, quo fine quidque fiat, ſpectari oportere.

Quartus locus eſt ἡ πηλικότης, ſive quantitas. Et actor quidem aſſeret, vehemens eſſe delictum, cogere militem adverſus tribunum. At regeret alter, crimen eſſe arrox tribuno vitam eripere; quod nunquam in animo ſe habuiſſe dicet.

Quintus locus eſt τὸ πρός τι, ſive comparatio. Dicet actor, gravius eſſe, armatos convocare adverſus tribunum, quàm aliquem lædere; ut Cicero diſſerit pro Cæcinna. Reus contrà pertendet, gravius multò eſſe manus alicui adferre, quàm cogere armatos. Atque hi potiſſimi ſunt loci generis deliberativi. Plura qui volet, Hermoginem adeat in τέχνῃ διαιρετικῇ Sect. VI.

De Statu Qualitatis.

1. Sect. *Si in controverſiam veniat, aut rei, aut facti qualitas, dicitur* ſtatus qualitatis.

Idem ob amplitudinem etiam vocatur *ſtatus generis* aut *generalis*. Itē *conſecutio* nominatur, quia eo quæritur, quid conſequatur rei

cujusque vim ac naturam. Putà, utilisnè sit, an inutilis; an justa, an injusta.

2. Sect. *Estq; hic status duplex, Negotialis, ac Juridicialis.* Negotialis *est de re futurâ. Atq; ad hunc deliberationes pertinent. Ut*, An utile sit, Athenienses opem ferre Olynthiis à Philippo obsessis. *Quomodo autem hic status tractetur, cognoscitur ex iis, quæ diximus de genere deliberativo.*

3. Sect. *Sin de re præterita tractet, appellatur* juridicialis. *Atq; is vel ratione nititur, qui id circo* rationalis *vocatur: vel à scripto vim capit qui* legitimus *dicitur, quia lex inter scripta præcipuum obtinet locum.*

* Macrobius, 1. Saturnal. cap. 4.

4. Sect. *Rationalis est vel simplex: sive absolutus, vel assumptivus.*

5. Sect. *Simplex aliquid suâ vi & naturâ laudabile esse ait.*

* Antiquè *nox* pro *nocte*, *esit* pro *erit*, *im* pro *eum*. De Diphthongis *ei*, *ou*, *ai*, antiquitus usurpatis pro *i*, *u*, *æ*, res notior est, quam ut movere attineat.

6. Sect. *Capita ejus sex statui solent, natura, lex, consuetudo, judicatum, æquitas, pactum.*

Ut si quis occiderit furem nocturnum, rectò se fecisse probabit.

A natura, quæ docet vim vi repellere.

A lege quæ est * : SEI NOX * FURTUM FACTUM ESIT, SEI IM OCCIT; FOUR CAISUS ESTO.

A consuetudine, quia ab omni seculorum memoriâ mos iste obtinuit.

A judicato, ut si dicamus, Titium, & Mævium in simili causa fuisse absolutos.

Ab æquitate, quæ dictat, ut ne, si in vim, aut insidias inciderimus, ejus vitæ parcamus, cui sine periculo nostro parcere non possimus.

A

A pacto, si possit ostendi, feciſſe actorem contra datam fidem.

Ad hunc ſtatum pertinet ea Milonianæ orationis particula, quâ ostendit Tullius, rectè interfici Insidiatorem, "Si, *inquit*, tempus est "ullum, jure hominis necandi, quæ multa "sunt: certe illud est non modò justum, ve-"rum etiam necessarium, cum vi vis illata "defenditur. *Et mox:* Insidiatori vero, & la-"troni, quæ potest adferri injusta nex? Quid "comitatus nostri? quid gladii volunt? quos "habere certe non liceret, si uti illis nullo "pacto liceret. Est enim hæc, judices, non "scripta, sed nata lex: quam non didicimus, "accepimus, legimus; verum ex natura ar-"ripuimus, hausimus, expressimus; ad quam "non docti sed facti, non instituti; sed imbu-"ti sumus: ut si vita nostra in aliquas insidias, "si in vim, si in tela aut latronum, aut ini-"micorum incidisset; omnis honesta ratio "esset expediendæ salutis, Silent leges inter "arma; nec se expectari jubent, cum ei, qui "expectare valet ante injusta pœna luenda "sit, quam justa repetenda.

7. S. *Status assumptivus, quia factum in se laudabile non est, extrinsecus assumit auxilia. Id, quod assumitur, colorem Rhetores vocant quia immutat facti rationem, ut purpura lanam.*

Ita, quod occidere civem indemnatum in se turpe sit, Milo, extrinsecus colorem quærens, culpam facti in ipsum rejicit Clodium, quem insidias struxisse ait.

8. Sect. *Dividatur status assumptivus in comparationem, relationem, remotionem, & purgationem.*

9 §. *Comparatio id, quod factum est, confert cum deteriori, quod alioqui faciendum fuisset.*

Ut lex Solonis erat *, Ἐάν τις μὴ τρέφῃ τοὺς γονέας, ἄτιμος ἔστω. *siquis non alat parentes, infamis esto.* Quispiam detrectat alere patrem; sed eo se excusat, quod in summa inopia, aut uxorem, aut parentem, discerere cogatur; satius autem videri, ut conservet uxoris vitam, quam ut, patris studeat saluti. Simile exemplum est, si Imperator majestatis accusatus, quod passus sit milites suos sub Jugum mitti, respondeat, id magis expediisse, quam ut omnes internecione delerentur.

* Diog. Laert. in Solone.

10 §. *Hic vero de utroq; despiciendum num necesse fuerit alterutrum facere; &, an satius fuerit isthoc agere, quod factum est.*

11 § *Relatio est, cum culpam conferimus in eam personam, quæ ipsa malum accepit.*

Ita Orestes culpam interemptæ Clytemnestræ dimovebat ab se in Matrem ipsam, quæ occiderat maritum suum Agamemnona. Par ratio erit, si accusetur Ulysses, quod sceptro suo percusserit * Thersitem. Nam culpam in ipsam conjciet Thersites, qui tot convicia regi Agamemnoni ingesserat.

* Homerus Il. a.

12. §. *Actor hic dicit, illum in quem culpa rejicitur, falso ejus criminis insimulari, ob quod dicitur malũ perpessus. Nec tanti fuisse crimen istud, ut idcirco ita cum eo fuerit agendum. Adhæc non propterea fuisse peccandum, quia alter pecca-*

peccârit prior. Item si alter deliquerat, debuisse eum in ius vocari. Etiam judices percontabitur, quid tandem futurum sit, si eandem viam insistant cæteri.

13. Sect. *Reus autem atrocitatem criminis, ob quod alterum mactavit infortunio, exaggerabit; rem, locum, tempus ob oculos ponet, ut videant judices, illum, qui malum accepit, dignum eo fuisse: neque potuisse rem in judicium vocari, vel inutile id fuisse.*

Exemplum, quod in relatione tractanda sequi possimus, nullum perfectius ac melius habemus oratione Ciceronis pro Milone; ubi culpa interfecti Clodii in ipsum Clodium refertur; quippe qui insidias struxerit vitæ Milonis, ut diximus.

14. Sect. *Remotio est, cum culpam rejicimus in personam aliam, quàm quæ malum accepit: vel in Reum quidem, sed sic, ut voluntas sive intentio facti concelatur.*

Prioris generis est. *Occidi, sed jussu dictatoris.* Posterioris est, *non posui statuam ex testamento, quia lege prohibebar.*

15. Sect. *Hic actor, si in personam culpa transferatur, negabit eam fuisse istius rei auctorem: vel non fuisse illius auctoritatis, ut detractare imperium minùs liceret: vel potuisse ei resisti, vel non tolli eo culpam, quòd ab alio inductus fecerit. Similiter, si in rem causæ referatur, vel in totum, quod de ea dicitur, negandum: vel dicendum, id tanti non esse*

ut propterea facinus ejusmodi committeretur.

16. Sect. *Purgatio non factum defendit, quo differt à remotione in rem : sed voluntatem. Itaque habet excusationem, aut necessitatis, aut fortunæ, imprudentiæ.*

Necessitatis, *mater Hierosolymitana filium interemit : excusat se istoc, quòd rabie ac fame eo fuerit adacta.*

Fortunæ, ut, *exercitium perdidi, sed iniquitate fortunæ, non culpâ propriâ.*

Imprudentiæ, *ut sumpsi supplicium de homine libero, verum liberum esse non putavi.*

Exemplo in hoc statu esto oratio Ciceronis pro Ligario : ubi ostendit, Ligarium fortunâ, imprudentiâ, ac necessitate fuisse pertractum ad bellum.

* coloris expers.

17 Sect. *Purgationi sæpe subjicitur Deprecatio, qui status quidem, est sed* ἄχρωμος. * "Ἄχρωμος *autem, quia non defendit factum : sed statum tamen, quia rationes adducit quibus, veniam quis facti se impetraturum sperat.*

Ita extrema oratione pro Ligario ait Tullius *Erravi, temere feci, pœnitet : ad clementiam tuã confugio : delicti veniam peto : ut ignoscas, oro. Si nemo impetravit, arroganter : si plurimi, tu idẽ fer opẽ qui spem dediſti.* Ingenua etiam sit illa confessio Leporii, ex monacho presbyteri ; qui cum à Pelagiano errore ad Catholicam veritatem esset conversus, ad Gallicanos episcopos scribens, hoc pacto est exorsus * : "Quid in me primum, ô domini mei vene-

* Cirat Cassianus lib. 1. de Incarnatione Domin.

"randi

" randi & beatissimi sacerdotes, accusem,
" nescio, & quid in me primum excusem,
" non invenio. Sic imperitia, & superbia, sic
" stulta simplicitas cum persuasione noxia,
" sic ferv or cum intemperantia, sic, ut verius
" dicam, cum sui diminutione debilis fides,
" simul in me omnia re[illegible]pta viguerunt; ut
" tot, & tantis simul sit, & obedisse confu-
" sio, & hæc eadem ab animo potuisse cedere,
" mihi stupenda gratulatio.

18 Sect. *Est q; deprecatio species status negotialis, quæ quæstio de re futura: num ignoscі expediat, necne. Quod autem in doctrina de statu juridiciali agi de eo solet, & inde est, quia purgationi plurimum subjicitur ab Oratore.*

Exempli gratiâ, siquis liberum hominem verberârit, priùs per imprudentiam factum dicet, quæ purgatio est: sed quia in imprudentia culpa inest, postea confugit ad veniæ postulationem, quæ deprecatio est. Plura de deprecatione lib. proximo dicemus.

CAP. X.

De Statibus Legalibus.

1. Sect. Status *legalis Hermogeni quadruplex est, περὶ ῥητῆ καὶ διανοίας, ἀντινομίας, συλλογισμῶ, καὶ ἀμφιβολίας* de scripto & sententiâ, contrariarum legum, ratiocinationis, & ex ambiguo.

2§. *Status de scripto & sententia, sive de verbo*

&

& voluntate, tunc imprimis incidit, cum litigantium pars una verbis legis, altera ejus nititur sententiæ. Quod de lege dixi, idem judicandum de testamento, ac pacto, & similibus.

Ut, Lex est. *Peregrinus, qui manias adscenderit, capitis supplicio adficiatur.* Est qui in obsidione muros conscenderit & hostem scalis adscendentem dejecerit. τῷ ῥητῷ peregrinus accusatur, τῇ διανοίᾳ defenditur. Est & cum utraque pars, quia certus casus latis expressus non est, de voluntate contendit. Vt, Quidam, qui primus familiæ nobilitatem intulit, primogenito, legavit annulum cum illustri gemma, regiæ erga se dignationis argumentum. Quinta inde soboles fœmina regii muneris hæres, partu priori filiam, altero filium peperit. Pro puella adfertur nascendi privilegium; pro filio dignitas sexus. Etsi autem casus iste huc quoque possit referri: tamen magis proprium hujus loci est, cum unus ad verba aperta; alter provocat ad mentem scriptoris; quem ad æquitatem respexisse est verisimile.

3. §. *In hujusmodi causa pars una dicet, sequi nos oportere, quod breviter adeo aperteque est perscriptum: aliud si scriptor voluisset, fuisse illud additurum; rationem etiam subiiciet, cur haud aliud voluerit: exempla item similia adferet, & res judicatas: denique, quam periculosum sit a scripto recedere, ostendet.*

4. §. *Pars vero altera scriptorem dicet tantum scripsisse quantum opus erat; quod autem quilibet*

libet per se videbat id scribendum non putâsse: calumniatoris, esse potius literarum apicibus insistere, quam voluntati; contrariam sententiam vel aliis ejusdem legis verbis, vel aliis legibus refelli; suam naturæ & legibus consentire, denique exempla adducet, ubi ex voluntate magis, quam verbis, controversiam indices deciderint.

5§. *Status contrariarum legum vocatur cum vel duæ leges (par autem ratio testamentorum, pactorum, & similium) pugnant inter se, vel pugnare saltem videntur, vel unius legis duæ partes colliduntur; aut una eademque casu aliquo secum confligit.*

Duarum hoc legum exemplum esto. Lex una est. *Tyrannicidæ statua ponatur in gymnasio.* Altera est, *Ne mulieri statua in gymnasio collocetur.* At fœmina est, quæ tyrannum sustulit.

Duarum unius legis partium exemplum sit, *Rapta raptoris mortem eligat, vel nuptias.* Est qui duas rapuit, quarum una mortem, altera nuptias elegit.

Eorundem verborum in casu aliquo secum pugnantium exemplum fuerit istiusmodi. *Vir fortis, quod volet, posset o.* At sunt duo viri fortes, qui eandem postulant virginem.

6. §. *In hoc statu duæ si fuerint leges, conciliare oportet, vel id si fieri non possit, una rejici debet. Utrum autem alteri cedere conveniat varie comprobatur. Nam & leges humanæ cedere debent divinis, & veteres leges novis abrogantur *, vel saltem iis derogatur.*

*Abrogantur leges, quæ totæ tolluntur; derogatur, iis cum pars tollitur; subrogatur, cum pars adimitur; abrogatur, cum pars mutatur. Ulp. Tit. 1. Reg.

rogatur, aut subrogatur, aut abrogatur. Item major autoritas est legis, qua præcipit, quàm quæ permittit: quia, quod præcipitur, necessarium est; quod permittitur, voluntarium. Item magis parendum legi, quæ particulatim, prohibet, quàm quæ indefinitè jubet: quia ei, quod universè videtur mandare, derogatur speciali interdicto. Lex etiam, quæ reip: bonum spectat, præfertur ei, quæ privatum bonum respicit. Interdum quoq; consideramus utrius legis auctor sit sapientior, vel simpliciter, vel in re aliqua.

5. Ut si quæstio sit de hæriditate Posthumi undecimo mense nati. Nam sapiens quidem Hypocrates definit decem menses utero. At non minus sapiens legislator hærediratem etiam undecimi mensis Posthumo decernit.

7 Sect. Συλλογισμῶ *sive ratiocinationis status est, cum res de qua non est propria lege cautũ, colligitur ex re simili, de qua statutũ est lege.*

Ut lex est, *Qui patrem pulsârit, plectatur.* At est qui matrem pulsârit. Dices, nihil interesse. Item, lex est, *Tyrannicida præmio afficiatur.* Est qui in arcem adscenderit, ut tyrannum necaret. At tyrannum non reperit, sed filium ejus; quem & interemit, relicto in vulnere gladio. Adveniens tyrannus, ut filiũ vidit occisum, eodem se gladio interfecit. Is qui filium sustulerat, præmium petit, tanquã tyrannicida. Alter legi satisfeciſſe negat. Ejus, qui filium peremerat, causam agit Lucianus: contrariam verò agit Erasmus, declamatione

eâ.

eâ quâ Lucianeæ illi respondit. Sunt qui *status paris* vocant. Jurisconsultis dicitur *inductiò legis*.

8. Sect. *Qui hoc statu utitur, dicet lege contineri, quod pars est, vel etiam, quod minus necesse fuerat, lege caveri. Adversarius autem similia, aut paria esse, negabit: ac causam adferet, cur dissimilis eorum ratio sit.*

Exemplo sint illæ Luciani, & Erasmi declamationes, quas dixi. Quædã etiam referre huc possis ex oratione Ciceronis pro Cæcinna.

9. Sect. *Status ex ambiguo est, cùm disceptatur quod accentu vox legi debeat, aut quò verbum aliquod debeat referri, aut qua significatione sumatur.*

Ut, *Hæres meus vasorum argenteorum, pondo centum noverca, quæ volet, dato.* Magnifica quæque, & scitè cælata, petit noverca: petit item filius. Ut ambiguitas tolleretur, addi oportuit, *quæ volet ipse vel ipsa.* Exemplum etiam gravius dabo. Jubet Apostolus Paulus velari mulieres. Quæritur num mulierum vox prefsè accipiatur, quomodo virginibus opponitur: an laxè, ut virgines comprehendat: qua de quæstione Tertullianum vid. lib. de velandis virginibus.

10. Sect. *In hujusmodi statu ostendet uterq; sententiam, quam defendet, esse manifestam aut saltem minimè absurdam: ac quod ipse dicit æquum bonumq; esse & legi, consuetudini*

& rectæ rationi consentaneum. Adversarium autem ex capitibus contrariis refellet.

11. Sect. *His subjicit Hermogenes* μεταλημψιν *sive statum translativum, qui non est de re, sed de actione: ut cùm judicium, vel à judice transfertur in judicem, vel ab accusatore in accusatorem, vel à loco in locum, vel à tempore in tempus, vel denique cùm negatur agendum hac lege, hac pœna, ob hoc crimen.*

Jurisconsulti vocant *præscriptionem Fori* vel etiam *exclusionem actionis.* Est verò cum status iste sit principalis. Ut apud Ciceronem in divinatione; ubi quæritur, num Cicero Verrem debeat accusare repetundarum, an Q. Cæcilius, Verris quæstor. Alterum, etiam addam exemplum ex Libanio. Lex erat apud Lacedæmonios, ut pœnâ afficeretur, qui ante annum trigesimum orationem haberet. Accidit, ut Athenienses loca quædam, à Lacedæmoniis libera reddi sibi postularent. Contradixit Archidamus, licet minor xxx annis, & bellum persuasit. Vicêrèq; eo bello Lacedæmonii. Postea accusatus fuit Archidamus legis violatæ. Respondere potest, non se nunc vocandum in jus ubi eventus bonitatem concilii comprobavit: sed tum id fieri oportuisse, cum eâ de re disceptaretur.

Est item, cum status iste non est principalis: sed causa in alio præcipuè consistit. Ut pro Rabirio Posthumo: ubi primâ orationis parte est translatio. Siquidem negat Tullius, Cn. Memnio, qui tum accusabat, comperere actionem in equitem Romanum. At deinde ad statum transit conjecturalem, ac

nihil

nihil pecuniæ ad posthumum rediisse contendit: inque eo præcipuè pedem figit.

CAP. XI.

De statu Quantitatis.

1. Sect. *In statu quantitatis, quatenus ad genus judiciale pertinet, cognoscendæ sunt majores & minores injuriæ.*
2 Sect. *Major injuria dicitur sex modis.*

I. Ratione animi maximè depravati: quomodo gravior injuria est, quæ fit ob causas leves.

Ut, si quis viatorem spoliet ob unum nummum. Pertinet huc locus Ciceronis ad Att. "De Terrentia (mitto cætera quæ sunt innumerabilia) quid ad hoc addi potest? "Scripseras, ut HSXII. permutaret; tantum esse reliquum de argento. Misit illa "ccxx mihi, & adscripsit tantum esse reliquum. Cum hoc tam parvum de parvo "detraxerit, perspicis quid in maxima re "fecerit?

II. Ratione noxæ in qua majus minusve detrimentum.

Quomodo major noxa est interficere, quam eripere pecuniam.

Huc pertinet, quando non est æqualis pœna: ut in parricidio.

III. Ratione patientis cum is judicium obtinere non potest: aut qui passus est, propterea in se ipsum

ipsum graviter animadvertit.

Prioris exemplum est, si quis vulneretur à filio principis: posterioris autem exemplum præbet Lucretia, quæ à Sexto Tarquinio violata, sibi ipsi manus attulit.

IV. Ratione agentis, si quis vel solus egit, vel primus, vel cum paucis, vel sæpe, vel causam dedit novæ legi, vel pœnæ novæ.

V. Ratione adjunctorum, ut si cui consultò illata injuria, si ab ingrato animo profecta, si plures injurias contineat &c.

VI. Ratione violati juris: quomodo, si quis violaverit jus non scriptum, majorem hanc injuriam esse dicemus, quia indicium sit pejoris animi. Nam si melior est, qui servat jus non scriptum, quod adeo necessarium non est: pejor videtur, qui violat. At si quis violârit jus scriptum, hac majorem esse injuriam docebimus, quia qui transilire non dubitat illa, quæ pœnæ obnoxia sunt, multo magis id facturus sit in iis, quæ pœnæ obnoxia non sunt. Atque hactenus de argumentis artificialibus.

CAP. XII.

De argumentis inartificialibus.

1. Sect. *Argumenta inartificialia sunt, quæ non quidem parit ars Oratoris, sed tamen foris ad se delata, arte tractat.*

2 Sect. *Hujusmodi in genere Juridiciali sunt quinque:*

I Ex-

I. Ex jure civile, ut leges.
II. Ex aliquorum auctore, ut teſtimonia.
III. Ex aliquorum conventionibus, ut pacta.
IV. Ex tormentis, ut quæſtiones.
V. Ex conteſtatione divina, ut jusjurandum.

DE LEGIBUS

3. Sect. *Aut lex ſcripta facto adverſa eſt, aut conſentit cum eo. Si facto adverſetur, reprehendenda eſt; vel quòd æquo, & bono repugnet, vel qnòd ſit alteri legi contraria, vel quòd ambigua, vel quod conſuetudo ſit in contrarium.*

Ad primum iſtorum refert quoque ſi lex aliqua non componatur ad regulam legis divinæ. Nam, ut Hipponenſis ille antiſtes, B. Auguſtinus, dicebat, *Omnium legum eſt inanis cenſura, niſi divinæ legis imaginem gerat.*

4. Sect. *Sin lex conveniat cum facto, aſſeremus, judicium eſſe ſententiam ferre ſecundùm leges: alioqui eos perjurio ſe obſtringere: fruſtra illas latas eſſe, ſi non ſerventur: nec debere quemquam ſapientiam ſibi majorem vindicare, quàm inſit legibus.*

Sanè, ut ſcitè ait Varro Manio, "Lex ne-
" que innocenti propter ſimultatem obſtri-
" gillat; neq; nocenti propter amicitiam
" ignoſcit.

DE TESTIBUS.

5. Sect. *Teſtimoniorum duo ſunt genera, unum divinum,*

divinum, ut oracula, alterum humanum, quod tum antiquos, tum novos testes comprehendit.

9. Sect. *Antiqui testes sunt historici, aliiq; qui ante nostra tempora fuere, sive ipsi scriptis aliqua consignârint; sive eorum dicta factave ab aliis celebrentur.*

Copiam veterum testimoniorum suppeditabit multi juga lectio. Quia verò hanc à puericia frustra exspectes, defectũ istũm utcunque supplebunt sylvæ sententiarum, atq; exemplorum, industriâ quorundã in juventutis gratiam congestæ. Imo plurimi etiam, quos jam ætas firmasse debet, ex istis sapiunt solis: & hi, quia tot veteres laudent scriptores, magni librorum helluones esse vidèntur, sed imperitis. Nam fieri aliter vix potest, quin illi qui non ipsos adeunt fontes, multa peccent: præsertim cum isti sententiarum consarcinatores non rarò ipsi inscitiâ, ac judicii defectu, fallunt fallanturq;. Imò etiam, cum hoc non est, tamen haud difficile est discernere collectionem puerilem, & orationem viri prudentis. Nempe uti haud ubicunq; est telum Achillis, ibi est manus Achillis: ita, nec ubicunque veterum frequentantur testimonia, ea rectè idcirco tractantur. Modus autem rectè tractandi testimonia, præcipuè est iste, ut ne vel nimis ea condensemus, vel adferamus vulgaria, ac quibus vis, aut pondus insit nullum.

7. Sect. *Novi testes sunt, qui in judicium vocantur, ut veritatem testentur.*

8. Sect.

8. Sect. *Hujuſcemodi teſtium novorum, alii ſunt participes periculi, alii expertes. Item alii de noſtra, alii de adverſarii perſona. Adhac alii in cauſa, ut de facto: alii extra cauſam, ut quæ de vita, & móribus dicuntur.*

9. Sect. *Diſtinguendum quoq; inter teſtes amicos, inimicos, neutros : item probos, improbos, medios.*

10. Sect. *Si qui non habeat teſtes, contendet, argumentis potiùs quàm teſtibus agendum eſſe, quia argumenta pretio corrumpi non poſſunt, teſtes poſſunt.*

11. Sect. *Sin habet teſtes, dicet argumenta non ſubjici pœnæ, uti teſtes; quodque teſtibus opus non eſſet, ſi argumenta ſufficerent.*

12. Sect. *Ad teſtimonia pertinet quoque rumor, ſive fama : quæ ſi pro nobis ſit, dicemus temerè uſci non ſolere; nec cauſam fuiſſe, cur fingeretur id; & ,ut cæteri rumores ſæpe falſi ſint, hunc non eſſe.*

Pro fama eſt locus iſte Heſiodi in Εργ. β. Φήμη δ' ὄυτις πάμπαν ἀπόλυται, ἥν τινα πολλοὶ λαοὶ φημίζυσι. *Non prorſus perit fama, ſi quam multa gentes diſpergunt.*

13. Sect. *Sin rumor nobis adverſetur, exemplis comprobavimus, quàm multa ab hominibus inîmicis, atque improbis, falsò ſpargi ſoleant. Etiam quia rumor ſæpe eſt inconſtans, hominibus ferè pro affectu erga quempiam judicantibus, rumorem ideo rumori opponemus.*

Ad falſum rumorem pertinet illud Tullii in Miloniana : *Laudabam equidem incredibi-*

credibilem diligentiam C. Pompeii; sed dicam, ut sentio; nimis multa audire coguntur ii, quibus tota commissa est Resp.

DE PACTIS.

14. Sect. *Si pacta pro nobis faciant, referemus ea privatæ legis vim habere; pacta legibus corroborari; quòd pleraque eorum, quæ inter homines, aguntur, pactis constant; eoque, hæc qui auferat, evertere hominum commercia, ac societatem.*

15. §. *Sin pacta obsint causæ, dicendum si legibus fraude conditis non pareatur, multo minus pactis fraude factis obtemperandū esse. Præterea cum judices sint justitiæ antistites, eos non tam quid factum, quam quid, justum sit, spectare oportere; justum esse immutabile; pacta sæpe vi, aut metu, extorqueri.*

16. Sect. *Insuper considerandum, an pacta repugnent aliis pactis, seu ea antecesserint, seu consecuta sint.*

17. Sect. *Videndum quoque, an aliqua ex parte ejusmodi pacta judicibus adversentur.*

DE TORMENTIS.

18. §. *Si tormenta pro nobis faciant, dicemus, vè dicunt homines torti, ea veritatem ipsam dicere.*

29. Sect. *Sin adversentur, contendemus, in tormentis nihil esse certi, quia nonnulli tormenta tolerant, ne vera fateantur: alii, cum tormenta perpeti non possint, facilè mentiuntur, ut citiùs cruciatu liberentur.*

Exemplum

Exemp. habemus in Miloniana. "Quibuſ-
"dam de ſervis? rogas? de P. Clodii. Quis
"eos poſtulávit? Appius. Quis produxit?
"Appius. Vnde? ab Appio, &c. Et mox. Age
"vero, quæ erat, aut qualis quæſtio? Heus
"ubi Ruſcio? ubi Caſca? Clodius inſidias fe-
"cit Miloni? Fecit? certa crux. Nullus fecit?
"ſperata libertas. Quid hac quæſtione cer-
"tius? Subitò arrepti in quæſtionem, tamen
"ſeparantur à cæteris, & quæ ibid. ſequuntur.

DE JURE JURANDO.

20. Sect. *Jurisjurandi ratio eſt quadripartita. Aut enim quis offert jusjurandum, aut non offert; accepit, aut non accepit.*

21. Sect. *Qui offert, ſtatuet pium eſſe, Deo rem committere; nec opus eſt adverſario, ut alios judices quærat, cum ipſi judicium offeratur.*

22. Sect. *Qui judicium offerre non vult, facere ſe referet, quia improbi facile pejerant cupiditate vincendi; eoq; ſe malle judiciũ periculum ſubire, cum his credat, adverſ. non item*

23. Sect. *Qui accepit, juramentum ait ſe non adverſario ſed ſibi ipſi habere fidem.*

24. Sect. *Qui non accepit, dicat, ſe pro pecunia jurare nolle, & ſi improbus eſſet, facilè juraturum.*

25. Sect. *Praterea is qui juramento ſtare nolit, vel accuſatur, vel defenditur.*

26. Sect. *Si accuſatur, contendemus, eum omnia jura ſubvertere; ipſoſque judices idcirco obſervare leges, quia jurati judicent.*

27. Sect. *Sin defendatur, dicendum, non eo perjurum eſſe; quia non ſua ſponte ſed metu coactus, & fraude circumventus jurârit; perjurium*

rium enim mente concipi, non ore.

28 §. *Dicere quoque liceat, ſatius eſſe, quod male juraris non ſervare, quam & jurando, & juratis ſtando, peccare.*

Nam, ut Inſychius ſcribit in Levit: cap. xix. Jusjurandum in injuſto eſt, non ſolum quod prævaricatur, ſed etiam, quod injuſte cuſtoditur. Quale illud fuit, quod Herodes filiæ Herodiadis jurans Joannis Baptiſtæ caput abſcidit. Oportebat enim hoc eum jusjurandum, non præbere poſtquam tamen juravit, non cuſtodire quia talia ſacramenta, nec initium ſumere Deus vult, ſed nec ſumentia ad finem pervenire. Atque hæc de argumentis inartificialibus.

FINIS LIBRI PRIMI.

GERARDI JOANNIS VOSSII PARTITIONUM ORATORIARUM *Liber Secundus.*

CAP. I.

De Affectibus Generatim.

HACTENUS actum est de probationibus, sive argumentis demonstrativis, quæ Græci λόγους vocant, ut diximus. Verum homines non ratione solùm sed etiam affectu, imò magna pars hoc penè solo ducuntur. Qua propter accedemus nunc ad πάθη sive affectus.

Neque est, quod objiciat aliquis, Phisici & Ethici esse de his tractare. Nam si Physicus considerat πάθη, quatenus sunt affectiones animalis: & naturales eorum causas exponit. Ethicus de iis tractat, quatenus sunt honestatis & virtutis capaces: ac mediocritas ut in iis servetur, docet. Rhetor autem agit de his, quatenus conducunt ad persuadendum: atq; ut tum moveantur, tum sedentur, explicat.

Præcipuè verò in eo consistit eloquentiæ regnum, quòd doctrinâ hac vim animis adferat. Quâ virtute si careat orator; siccus ac jejunus, sine succo ac sanguine erit. Neq; hoc artificium naturâ suâ noxium esse propterea putemus, quòd (ut apud Salustium, Cæsar

(ait) *omnes homines, qui de rebus magnis consultant, ab odio, amicitiâ, irâ, atque misericordiâ vacuos esse decet.* Nam de affectibus intelligi Cæsar debet, quatenus rationis judicium prævertunt, usumq; ejus impediunt. Deus animis nostris insevit adfectus, ut stimuli sint ad actiones honestas; quod fit, cùm rationi sunt consentanei. Quare, ut apud viros sapientes, & cordatos, haud opus sit eos ciere; eoque apud Areopagitas lege cautum fuerit, ut dicerent ἄνευ προοιμίου καὶ παθῶν *; tamen apud rudem populum, qui rationum pondus parum perpendit, omnino movere animos opus est, quo ad honestas actiones melius perducatur. Imo quia & eorum, qui supra vulgus sapiunt, multi bonum, quod approbant, non amplectuntur exemplo Medeæ apud Ovidium, quæ ait,

* Absque proœmio & affectibus.

——Video meliora, proboq;
Deteriora sequor :——

omnino apud tales quoque conducibile est, ut eorum animis faces & stimulos subdamus, quò non solum assentiant; sed etiam, id quod bonum censent agant. Quod rectè fieri, etiam Jesaiæ, Pauli, & aliorum cœlestium vatum exemplo docetur, qui non contenti docere, affectus quoq; cient: atque idem à gravissimis & sanctissimis quibusq; Ecclesiæ doctoribus, seculis omnibus fuit observatum.

Affectus est appetitus sensitivi immutatio ab objectâ rei bonæ vel malæ specie proveniens: sive, ut ab Aristotele definitur.

1. Sect. *Affectus est animi commotio, per quam homo immutatus non eodem modo de iisdem rebus judicat.*

Ira qui amat, pro delicto aliquid non habet, aut pro exiguo: contra qui odit, pro magno. Item, qui concupiscit, id quod jucundum est, bonum etiam esse censet: at, qui affectu hoc caret, non item.

Affectus ex Stoicorum sententia, sunt quatuor: "Ratione boni præsentis, lætitia; "ratione boni futuri, spes: ratione mali præ"sentis, dolor: ratione mali futuri, metus. "Quos Maro expressis in sexto, cum ait.

Hinc metuunt, cupiuntq; dolent, gaudentque.

Eosdem Boethius his versiculis est complexus.

Gaudia pelle,
Pelle timorem,
Spemq; fugito,
Nec dolor adsit,
Nubila mens est,
Vinctaq; fraenis,
Hac ubi regnant.

Peripatetici vero uti in eo à Stoicis dissentiunt, quod affectus non extirpandos, sed ratione moderandos censent: ita & multo plures statuunt affectus; sed fortasse ad quatuor istos non incommode reducantur. Nos præcipuos solùm, & quorum potissimum Oratori usus est, hoc loco, Aristotelis exemplo, exponemus.

2. Sect. *Affectuum alii magis locum habent in Deliberativo, alii in demonstrativo, alii in Juridiciali.*

4 Sect. *Deliberativi magis proprii sunt, metus, fiducia, pudor, & impudentia.*

CAP. II.

De Metu.

1 Sect. Metus *est animi agritudo ex imaginatione futuri mali, quod nobis, aut nostrorum cuipiam interitū, aut dolorem adferat, praesertim si imminere nobis videatur.*

Sive metus est animi motus ex apprehensione mali magni ac imminentis. Ita Cicero in Orat. pro lege Manil. metum commovet, cum alibi, tum in principio narrationis, quando ait, *Bellum grave & periculosum vestris vectigalibus atque sociis à duobus potentissimis regibus infertur, Mithridate, & Tigrane &c.* Grave & periculosum pertinent ad magnitudinem. At imminere ex eo cognoscitur, quia dicitur jam bellum inferri.

2. Sect. *Ex allata hac definitione cognoscimus duas esse periculorum conditiones, quae metum adferant. Una est, ut sint φθαρτικὰ ἢ λυπηρά; hoc est interitum aut dolorem adferant.*

Quomodo metuimus, ne nos invadat hostis, aut ne in morbum incidamus gravem, ut ne subeamus infamiam, aut ne liberos, vel opes

opes amittamus. At injuſtitia, ſtultitia, ſimiliaque. Quanquam maxima ſunt, tamen fere non metuuntur; quia non adferunt interitum, vel dolorem magnum.

3.§. *Altera conditio eſt, ut malum immineat.*

Nam non ſolent homines metuere mortem, quia longe eam abeſſe arbitrantur. At timent illam tempore peſtilentiæ, aut gravis morbi, vel etiam in tempeſtate, ubi metus eſt naufragii.

Præſentemq; † viris intentant omnia mortem.

† 1 Æn.

4 Sect. *Unde conſequitur, ut metum incutiat orator, duo requiri. Prius eſt, ut malum objiciat auditori, ejuſq; magnitudinem exponat. Deinde, ut hoc imminere oſtendat.*

5. Sect. *Porro non uno modo magnitudo mali declaratur, quod ob diverſam ſit hominum naturam. Vnde ſcito opus, quo quiſque ingenio ſit. Sane avarus pecuniæ, ambitioſus honoris, amator deliciarum ſuarum jacturam præcipue reformidat: eoque ea potiſſimum parte pungendus: qua ſenſus eſt mollior, & vis acrior.*

Atque hic magnitudo mali conſideratur ratione perſonæ; ubi ſpectatur, quo hic, quo alius magis moveatur. Nec enim pariter ſunt omnes animati. At ratione rei duo attendimus: utrum malum ſi commune, an proprium; utrum ſimplex, an mala multa involvens. Quæ duo proximis duobus canonibus paulo fuſius deducimus. De priori prius.

6. §. *Præterea cum periculorum alia sint propria, alia communia; & prior a magis adficere animos soleant: expedit, ut communia ad privata revocentur; quo conspiciatur, ut publica calamitas etiam privatam illam secum trahat.*

Privata enim magis tangunt, quàm publica: etsi vulgo malint videri publico potius dolore moveri, quam suo. Sed plerique histrioniam agunt, Poli exemplo; qui Athenis acturus fabulam Euripidis, cum representandus esset dolor Electræ gestantis cineres Orestis, urna clam in scenam detulit ossa filii defuncti. Lugere visus est mala aliena, deflevit propria.

7. Sect. *Multum etiam valet, si calamitatem imminentem non verbo uno tangamus, sed κατ' ὑποτύπωσιν ab oculis ponamus.*

Ita si deditionem suadere civibus velimus: orationis penicillo depingemus arces conflagrantes, cædes civium, lamenta matronarum, stuprationes virginum, malaque alia, quæ in urbibus captis contingere solent. In cujusmodi argumento à principe ad subditos, à mare ad fœminam, à matrona ad virginem itur, & inde ab alia.

8. Sect. *Atq; hæc magnitudinem mali indicat. Imminere verò tantum malum ostendemus; si doceamus, illos, quos metui volumus, tales esse, ut interitum adferre, vel damnũ summum dare possint; & cum possunt, velle; & cum volunt, id promptissimè agere: quales imprimis*

primis sunt, qui armatam habent potentiam, & injusti sunt; & contumeliosè secum actum esse arbitrantur.

Tria hîc considerantur, posse, velle, agere. Posse comprobatur ex viribus animi, corporis, fortunæ. Velle ostenditur ex affectibus, & utilitate. Quæ plenius intelliguntur ex doctrina de statu conjecturali. In agendo maximè formidabilis est celeritas. Citò autem exsequitur, qui naturâ acris est, ac vehemens. Præsertim, si gravior est injuria, quam fuerit perpessus.

9. §. *Utile etiam est ad incutiendum metum, ut majorum, vel parium, recenseamus exempla, qui malum jam sunt perpessi.*

Quomodo Demosthenes,* ne Athenienses despicere velint Philippum, tanquam viribus multò inferiorem, refert, ut Methone, Apollonia, triginta duæ Thraciæ civitates, ab eo captæ sint, aliaque, quæ jam in vicinis populis patrâsset. *Phillip. 3.

10. §. *Plurimum quoq; prodigiis & ostentis moveri homines solent, Nec refert, utrùm verè hujusmodi sint, an esse existimentur.*

Sanè, ut credulum vulgus mittam, Nicias ipse, Athenienfium dux, cùm circa Syracusas haberet exercitum xl millium; & castra transferendo (uti plerique suadebant) servare militem posset, deliquio Lunæ territus, id facere non fuit ausus, ac propterea maximâ

affectus fuit clade quæ Athenienſis imperii ruinam mox ſecum traxit.

CAP. III.

De Confidentia.

1. Sect. *Metui opponitur* Confidentia. *Eſt ea ſpes cum rerum ſalutarium imaginatione, quas homines brevi ſe conſecuturos putant, aut horribilium, quas, vel ſublatas, vel remotas eſſe arbitrantur.*

Siquidem confirmatur animus, cum vel mala longe abſunt, vel ſpes ſalutis prope adeſt.

2. Sect. *Hujuſmodi ſpem variè excitamus. Ac primùm quidem, ſi oſtendamus, fieri aliquid poſſe, & in ſimili cauſa factum eſſe. Vel in hujuſmodi, ut majori etiam periculo nos antea fuiſſe, & tamen evaſiſſe.*

Quomodo in tempeſtate Trojanis animum
1. Æn. v. 262. addit Æneas.

3 Sect. *Eadem ratio eſt, ſi doceamus, pares, vel etiam inferiores, id periculum evitâſſe.*

Ut ſi dicas, non eſſe, quòd Romani metuant Germanos, cum devicerint Helvetios, à quibus ſæpius victi fuere Germani. Ita Cæſar animum militibus addit in primo de bello Gallico. *Deniq; ait, hos eſſe eoſdem Germanos: quibuſcum ſæpenumerò Helvetii congreſſi,*

greſſi non ſolum ſuis ſedibus, ſed etiã in illorum finibus plerumq; ſuperaſſent: qui tamen pares eſſe noſtro exercitui non poterint.

4. Sect. *Etiam fiduciam addit orator, ſi per ſingula diſcurrens, oſtendat, adeſſe ſubſidia quæ requiruntur.*

Vt ſi quis ad dignitatem aſpiret, referemus quantus ſit favor civium, ac eorum imprimis, qui plurimum poſſint, atque ut competitori hæc deſint. Ita agi potuit, cum Cicero, conſulatum ambiens, competitorem haberet Hirrum. Similiter, ut bene omnes de bello ſperent, commemorabimus cum pecuniarum vim, militum robur, cæterumque belli apparatum; tum imprimis, virtutem, & fortunam imperatoris. Quod Tullius facit in Manilliana. Vbi illud inter alia: *Cum ei Imperatoris præficere poſſitis, in quo ſit eximia belli ſcientia, ſingularis virtus, clariſſima autoritas, egregia fortuna: dubitatis, Quirites, quin hoc tantum bonum quod à Diis immortalibus oblatum eſt, in remp. conſervandam, atque amplificandam, conferatis?*

Contra hoſtium vires minuemus: Qua in re Galgacus præit apud Tacitum†; "Ne, "*inquit*, terreat vanus aſpectus, & auri fulgor, atque argenti, quod neque tegit, neque vulnerat; in ipſa hoſtium acie inveniemus noſtras manus. Agnoſcem Brittanni ſuam cauſam, recordabuntur Galli priorem libertatem, deſerent illos cæteri Germani, tanquã nuper Vſipia reliquerunt. Nec quicquam ultra formidinis, vacua caſtella, ſenum coloniæ inter male parentes, &

† In vita Agricolæ.

"ſte imperantes, ægra municipia & diſcor-
"dantia, &c.

5. Sect. *Multum etiam fiduciæ addit perſuaſio de favore divino.*

Vnde Xenophon de Cyro in παιδείᾳ ejus* ſcribit, ſolere illum ante prœlium animare milites ſuos præſentiâ numinis. Lib. 3. & alibi.

Fit vero iſtoc partim oraculis, ut apud Maronem in octavo.

Sed mea me virtus, & ſancta oracula divûm,
Conjunxere tibi.

partim aliis ſignis; uti voce populi quæ Dei vox credi ſolet. Vtroque argumento pugnat Tullius Phil. IV. "Jam enim non ſolum ho-
"mines, ſed etiam Deos immortales, ad Remp.
"ſervandum arbitror conſenſiſſe. Sive enim
"prodigiis, atque portentis, Dii immortales
"nobis futura prædicunt; ita ſunt aperte de-
"nunciata, ut illi pœna, & libertas nobis, ap-
"propinquet: ſive tantus conſenſus omnium
"ſine impulſu Deorum eſſe non potuit; quid
"eſt, quod de cœleſtium voluntate dubitare
"poſſimus? &c.

Quam latè autem ſe ſigna extendant, argumento eſt, quod ut Saluſtius in Jugurthina auctor eſt, cum Romani milites aquæ penuriâ laborarent, ex eo, quod repentè maximus imber diffunderetur; Deo ſe curæ eſſe judicârunt.

Nihilominus cavendum, ne favore divino quicquam apud viros graves & cordatos, ex ſignis iſtiuſmodi ſtatuamus, quæ riſus his potius,

potius, quàm fiduciam pariant. Quale illud unius è Pompeianis fuit, qui bellum adversus Cæsarem esse redintegrandum aiebat; optimeque esse sperandum, quia aquilæ septem in castris Pompeii essent repertæ. *Optimè*, inquiebat Tullius, *si nobis pugnandum esset cum graculis.*

CAP. IV.

De Pudore.

1. *Sect.* Verecundia, *sive Pudor est animi perturbatio, ex malis, sive præteritis, aut præsentibus, sive futuris, quæ existimationem offendere videntur.*

Vel brevius hoc pacto, Pudor est perturbatio animi ex apprehensione mali, quod lædat existimationem. Est enim pudor, quasi custos existimationis, eoque sedulò custodiendus; præsertim, quandò, ut apud Senecam * est, tum periit, redire nescit. *Agamem.

2. *Sect. Pudet præcipuè apud septuplex hominum genus. Primum eos, quos in pretio habemus: ut qui nos admirantur, vel quos ipsi admiramur, vel quibus admirationi esse studemus, vel quibuscum de honore contendimus, vel quorumcunque judicium non aspernamur: ut sunt senes, prudentes, eruditi, omnesq; illi quos putamus idoneos esse rerum nostrarum æstimatores.*

3. *Sect. Deinde apud eos in quorum conspectu fumus.*

Nam

Nam, ut dici ſolet, Pudor, in oculis habitat. Eoq; prudenter Cydias, cum perſuadere Athenienſibus vellet, ne Samiorum agros inter cives ſuos dividerent; quo pudorem faciliùs ingereret, jubebat eos negotium hoc ita animo concipere, quaſi Græci univerſi, qui rem omnem paulò poſt audituri erant, ſtarent nunc pro corona, & Athenienſes turpe hoc decretum facientes coràm ſpectarent.

4. § *Tertio apud illos pudet, qui eidem crimini non ſunt obnoxii.*

Quippe tales factum noſtrum improbare veriſimile eſt.

5. §. *Quarto apud illos, qui ſeveri ſunt vitiorum cenſores.*

Qualis olim Cato, qui Cenſorii nomen reportavit.

6. §. *Quinto apud eos qui facilè, quæ ſciunt, divulgant: Ut ſunt, quos injuria affecimus: item malefici, & qui in aliis taxandis operam ponunt; quales ſunt riſores aliorum, & ſcriptores veteris comœdiæ, vel epigrammatum, vel ſatyrarum, aut minorum.*

Unde Horatius in Satyris *;

* Sat. 4. lib. 1.

Omnes hi metuunt verſus, odere poetas.
Fœnũ habet in cornu: longe fuge: dummodo riſũ.
Excutiat ſibi, non hic cuiquam parcet amico.
Et quodcunque ſemel chartis illeverit, omnes

Geſtiet

Gestiet à furno redeuntes scire, lacuque,
Et pueros, & avos.

7. Sect. *Sexto apud illos pudet, qui nobiscum benignè semper egerunt.*

Unde Pamphilus Terent * * In Andr. Act. 1. Sc. 5.

Tum Patris pudor, qui me tam leni passus est animo usq; adhuc.
Quæ meo cunq; animo libitum est facere, eine ego ut adverser?

8. Sect. *Septimo apud eorum, quos commemoravimus antea, servos, vel amicos.*

Quippe unde illi intelligere rem omnẽ possint. Et tales quidem sunt apud quos pudet.

9. Sect. *Pudorem vero incutimus per ea, quæ facta sunt turpia, vel facti talis signa.*

Quomodo timidi, ac ignavi animi nota esse censentur, vinci ab hostibus; unde pudorem ciet Cicero pro lege Manilia; *Defenda est vobis hæc macula Mithridatico bello suscepta, quæ penitus jam insedit, atq; inveteravit; in P.R. nomine.* Item, *Videte ne, ut illis pulcherrimum fuit, sic tantam vobis imperii gloriam relinquere: sic vobis turpissimum sit, illud, quod accepistis, tueri, ac conservare non posse.* Ejusdem rei signum est violentia, quam quis perpessus sit invitus; unde Maro in VI.

Deiphobum videt, lacerum crudeliter ora,
Ora manusq; ambas, populata q; tempora raptis
Auribus

Auribus, & truncas inhoneſto vulnere nares: Vix adeo agnovit pavitantem, & dira Tegentem *Supplicia.*

Multoque magis pudorem adferunt, quæ libidinosè ac turpiter patrantur, unde Maro in Eclogis.

Novimus & qui te, transverſa tuentibus hirquis

Pudori item eſt animus ſtolidus, & incautus, quò refer illud Terentianæ Thaidis *.

* Enum. Act. 5. Sec.

Diſpudet ſic verba data eſſe mihi.

*Cic. lib. 1 Tuſcul. quæſt.

Item inſcitia, *Sanè* Themiſtocles, * cum lyram recuſâſſet, habitus eſt indoctior. Atq; ex his non difficilis eſt conjectatio de ſimilibus, quæ pudorem incutere valent; ſive iis, qui turpe quid egerunt, ſive horum majoribus, poſteris, neceſſariis, aut propinquis: ſive iis qui ad facti auctores referuntur, ut ſunt eorum præceptores, ac conſiliarii.

10. Sect. Invericundia *contrà eſt, cum non movemur malis, quæ exiſtimationem lædere, ignominiaq; eſſe cenſentur. Hunc adfectum gignimus contemptu rerum, quæ turpes factu, vel turpis eſſe rei ſigna creduntur.*

Ita Antipho poëta, cum ipſe unà cum ſociis morti eſſet deſtinatus; ſed hi, ne in calamitate iſtâ conſpicerentur, faciem nuberent, *Quid?* inquiebat, *veremini, ne quis horum cras videat nos?* Hactenus de affectibus generis deliberativi magis propriis.

CAP.

CAP. V.

De Lætitia.

1. Sect. Demonſtrativi *generis affectus eſt geminus; lætitia, & gratia.*

2. Sect. *Lætitia eſt motus animi proveniens ex imaginatione boni præſentis.*

3. Sect. *Hujus effectus eſt delectatio: hoc eſt tranquillitas animi in bono præſenti ſuaviſſimè acquieſcentis.*

Ita in oratione Manilianâ oritur delectatio ex admiratione ampliſſimarum rerum, quas geſſit Pompeius.

4. Sect. *Paratur autem lætitia non* abſolutè *tantum conſiderando puta magnitudinem boni, quod res in ſe continet: ſed etiam* comparate, *nempe oſtendendo, quanto hæc fortuna potior ſit altera. Ut ſi referamus priorum temporum calamitatem, aut pericula: ac deinde cum iis præſentis felicitatis bona conferamus.*

Fecit hoc Cicero poſt reditum ad Quirites: " Etſi, *inquit*, homini nihil magis optandum, " quam proſpera, æquabilis, perpetuaq; for- " tuna, ſecundo vitæ, ſine ulla offenſione, " curſus; tamen, ſi mihi tranquilla, & placata " omnia fuiſſent; incredibili quadam & pe- " nè divinâ, qua nunc veſtro beneficio fruor, " lætitiæ voluptate caruiſſem. Exinde enumerat bona illa, quæ reſtitutus patriæ recepit: atque ait ſe voluptatem eorum carendo magis, quam fruendo intelle-

xiſſe;

xiſſe; juxta illud Plautinum †;

† Cap: Act. 1. Sc. 2.

Tum denique homines noſtra intelligimus bona
Cum quæ in poteſtate habuimus, ea amiſimus.

Mirifice etiam exultat Cicero ſecunda in Catilinam invectiva, quam ab his verbis auſpicatur, *Tandem aliquando Quirites, L. Catilinam furentem audaciâ, ſcelus anhelantem, peſtem patriæ nefariè molientem, vobis atque huic urbi ferrum flammamque minitantem, ex urbe vel ejecimus, vel emiſimus, vel ipſum egredientem urbe proſecuti ſumus. Abiit, exceſſit, evaſit, erupit. Nulla jam pernicies à monſtro illo, atque prodigio, mœnibus ipſis intra mœnia comparabitur.*

5. §. *Neque non poteſt latitiam parere oratio, quæ, cogitationi objicit vernum ſolem, ſerta, flores, odoramenta, aurum, gemmas, veſtes pictas, cantus ſymphoniacos, & hujuſmodi alia: quæ vernanti, & ſi non gravi, at feſtiva dictione explicantur in natalitiis, epithalamiis pompæ ac ludorum tempore.*

† Quamquam aliqui eſſe Mamercini vel alius putent, ac dictum Maximiano Imp.

Exemplum habemus in panegyrico Eumenii † qui dictus eſt Conſtantio Cæſari. " De " te, *inquit*, mihi Cæſar invicte, hodiernæ " gratulationis exordium divinus illæ veſtræ majeſtatis ortus, ipſo, quo illuxit, auſpicio veris illuſtrior, cui dies ſerenus, atq; " ut celebrantes ſenſimus ultra rationē temporis, Sol æſtivus incaluit, auguſtiore fulgens luminis claritate, quam cum originem " mundi naſcentis animavit. Siquidem tunc " inter illa rerum tenera primordia, moderatus dicitur, ne noceret; nunc ardentior, ne

" majeſtate

" ſtate veſtra videretur obſcurior. O fœlix
" beatúmq; ver, novo partu, jam non amœ-
" nitate florum, nec viriditate ſegetum, nec
" gemmis vitium, nec ipſis tantum favoniis,
" & luce ſerena lætum, atq; venerabile,
" quantùm ortu Cæſarum maximorum! O
" tempus, quo merito quondam omnia nata
" eſſe credantur, cum eodem nunc confir-
" mata eſſe videantur!

CAP. VII.

De Gratia.

1. Sect. Gratia *eſt, qua quis benefacit, non quia ipſe beneficium aucupetur; ſed duntaxat ut ei commodet, cui beneficium præſtat.*

Uti Terentiana Thais ſe facere ait;

Hanc tibi do, neq; reperto pro illa quicquam abs te precii.

2. Sect. *In hac duo potiſſimùm ſpectamus: ut eam, ſi opus ſit amplificare: ut item extenuare, atq; imminuere poſſimus.*

3. Sect. *Amplificatio fit trifariàm. Primum à perſona, cui quis gratificatur: ut ſi quis exul, & egentiſſimus. Deinde à re, quâ gratificatur: ut ſi magna, vel peropportuna. Deniq; à perſona, quæ gratificatur; ut ſi ſola dederit, vel prima, aut præcipuè.*

A tribus iſtis, Didonis beneficium commendat Trojani apud Maronem, 1. En.

O ſola

O sola infandos Trojæ miserata labores,
Quæ nos reliquias Danaûm, terræq; mariſq;
Omnibus exhaustos jam casibus, omnium egenos,
Urbe, domo socias.

Nam non ἁπλῶς dicitur Dido miserata Trojanos; sed dicitur SOLA miserata, idq; OMNIUM EGENOS, neq; leviter miserato, ut si viatico solùm juvisset; sed quod verè maximum beneficium fuit, URBE ac DOMO SOCIASSE.

4. §. *Beneficiorum hæc exaggeratio eò prodest, ut excitemus desiderium illi gratiam referendi, qui præclarè, sive de nobis, aut nostris, sive de Rep. meritus est.*

Ita Cicero id Manilianâ, ut gratiam conciliet Pompeio, maxima ejus in Remp. beneficia commemorat, eúmque cum Imperatoribus summis confert, atque adeo iis præfert.

5. §. *Interdum etiam necesse est beneficium aliquod imminuere, quod à jactabundis, καὶ μικροψύχοις, nimis exaggeratur.*
6. §. *Fiet hoc, si dicamus, aliquem non tam nostri, quàm sui causa, bene feciſse.*

Tale fuit beneficium Pompeii in revocando Cicerone ab exilio. Nam passus antea erat in exilium expelli, quo revocando postea, sibi magis obstringeret. Hinc Cicero ait, magis * restituendi, quâm retinendi fuisse studiosum; item ut beneficium daret, prius feciſſe injuriam.

* Ad Attic. lib. 8. Ep. 3.

7. Sect.

7. §. *Dicemus praterea, non ſua ſponte beneficiſſe, ſed caſu aut coactum: ut quod ſummorum virorum poſtulato ultra obſiſtere non audiret.*

8. Sect. *Item, non tam beneficium dediſſe, quam reddidiſſe.*

9. Sect. *Vel etiam non mereri aliquid nomen beneficii.*

Uti quod Philippus Athenienſibus offerret Haloneſum; quam ille quidem dare, ſed Athenienſes reddere eum, dicebant.

10. §. *Item, ſi beneficium negemus eſſe tantum, aut tale, quale exigebamus: aut non datum eſſe loco ſuo, & tempore.*

Nam ut proverbio dicitur, *Bis dat, qui cito dat.*

11. §. *Plurimum etiam de beneficii affectu deterit, ſi oſtendamus, alias in re minori non ſubveniſſe; vel etiam inimicis par, aut majus contuliſſe beneficium; vel quod dederit, vile & abjectum quid eſſe.*

Vt ſi in convivio quidem exceperit, ſed vino jam acceſcente, ferina puteſcente.

CAP. VII.

De Ira.

1. § *Affectus generis Juridicialis magis proprii ſunt*

sunt, tum ira, lenitas: amor, odium: tumquæ vel iram, vel odiũ consequuntur: ut indignatio, & invidia; tum quæ sequuntur lenitatem & amorem, ut misericordia, & æmulatio.

2 §. *Ira est conjuncta cum dolore, cupiditas vindictæ ejus, quam videamur nobis posse exsequi, propterea quod quis aut nos, aut nostrorum quempiam, immerito parvi fecisse videatur.*

3 §. *Sunt hujusce contemptus species tres, despectio, incommodatio, & contumelia.*

4. Sect. *Despectio etiam est sine impedimento.*

5. Sect. *Incommodatio est cum impedimento; & fit, non quidem, ut ipse quis utilitatis aliquid acquirat; sed ne alius, quod cupit, consequatur.*

6 Sect. *Contumelia est, cum quis voluptatis suæ gratia alterum afficit dedecore.*

Quo quis vero gloriæ est cupidior, (ut fere fit, si quis vel dignitate, vel eruditione excellat) hoc ob cõtentũ sui vehemẽtiùs solet irasci. Ita Hipponax, * cum deformi & fœda esset facie, ac effigies ejus à pictorib. quibusdã publice exposita esset ad deridendum: tantopere excanduit, ut virulentis versibus, aliquoseorũ ad suspendium adegerit. Memorabile etiam exemplum est Narsetis, ducis militari gloria florentissimi; qui cum post res fortiter gestas adversus Totilam, Gothorum regem, invidia quorundam à Justino Imperatore exueretur Italiæ præfectura; atq; etiam ab Imperatrice Sophia, impotentis animi fœmina, hujusmodi impeteretur ‖ convitio, *Narsetem ad gynæcium*

* Plinius l. 36. c. 5.

‖ Paulus Diaconus lib. 2. de gestis Longobard. c. 5.

nacium esse relegandum, ut cum puellis lanarum faceret pensa: opprobrium istud adeo indignè tulit, ut dixerit, se telam orsurum, quam Imperator, & conjux, dum viverent, retexere non possent: ac paulo post Longobardos in Italiam evocavit.

Nec pari artificio in commovenda ira semper est opus. Nam ut corpora humana, quibus temperies est mala, ex cœli constitutione insalubri facilè in morbum incidunt: ita, si animus jam ante fuerit exulceratus, ac sinistra suspicione de eo, quem accusatum venimus, laborarit; ad iram hunc inflammare difficile non erit. Sed ut tales solum irâ accendamus, minime sufficit. Quare isthoc potius artificium, quod universos spectat, deinceps apperiendum est nobis.

7 Sect. *Omnis iræ excitandæ ratio in sex rebus præcipuè consistit.*

Nam narrandum, & exaggerandum à personis, minoribus, effectis, signis, ac modus interim servandus, ne odio dicere quidquam videamur. Quæ strictim ita memoriæ causâ dictâ, clariori aliquanto luce nunc vestiemus.

8 Sect. *Primum, quam atrox, atque indignum facinus commissum sit,* περὶ ὑποθέσεως *exponemus.*

Quid autem ὑπόθεσις sit, dicetur lib. IV. cap. XVI.

9. Sect.

9. §. *Hinc ejus, qui læsus est, innocentiam, virtutem, dignitatem, vel aliam conditionem, referemus: & contra commemorabimus vitia ejus, qui læsit, conditionem illius, contentam, vel exosam, atque invisam.*

Vnde liquet, duashic personas spectari, illius, cui facta est injuria, & ejus à quo facta.

10. Sect. *Postea, ut magnitudo injuriæ magis appareat, eam comparatione minorum exaggerabimus.*

11 Sect. *Etiam ostendemus, quomodo injuriæ hujus malum non tantùm ad præsens; sed futurum quoque tempus, se extendat.*

12. Sect. *Vtile insuper erit, ut siqua injuriæ illatæ signa oculis objici possint, ea ad animos acrius irritandos adhibeantur.*

Quomodo Antonius, Cæsaris vestem gladiis perforatam ostendens, item populi adversus Cassium, & Brutum, & conjuratos alios, quam maximè accendit.

13. §. *Hac interea opus est cautione, si metus sit, ne privato odio adducti, modum omnem in exaggerando crimine excedere videamur, non tam anxiè laboremus de amplificanda injuria, quam contenti simus simplici oratione; sed tali, quæ signa atrocis injuriæ, tanquam argumentorum gravissimorum semina, passim interserat. Nam ita ut & rem dicemus, & tamen veritati studere, non affectui indulgere, credemur.*

Exempla

Exempla hujus movendi affectus ſuppeditabit Demoſthenes in iis, quæ adverſus Ariſtogitonem, Midiam, & Æſchinem ſcripſit; item Tullius in illis, quæ habet contra Clodium, Piſonem, Vatinium, & Antonium.

CAP. VIII.

De Lenitate.

1. §. Iræ *contraria eſt* Lenitas, *quæ eſt ſedatio iræ.*

2. §. *Non tamen omnes ejuſmodi ſunt, ut ſe patiantur diliniri: ſed ut tigres efferantur muſicâ; ita aliqua delinificâ oratione magis irritantur. Quare apud tales plus proficimus, ſi terrorem minùs incutiamus.*

3. §. *Ad deliniendum iram maximè adhibendi illi, qui minus habent roboris, & quos de vi inferendâ cogitare, nulla ſuſpicio eſt. Ejus generis ſunt pueri, & ſenes: item fœmina, præſertim ſi miti facundiâ, & præſtanti formâ commendentur.*

Ita in ſacrâ paginâ legimus, Davidis*iram ab Abigail; Artaxeris, * ab Eſtherâ eſſe ſopitam. Romana item hiſtoria*teſtatur, interventu Sabinarum inter Romulum, & Tatium, fœdus eſſe ictum. Item volumna, & Veturia. * Marcium Coriolanum, patriæ funus ſpirantẽ, à noxio propoſito dimoverunt.

* 1. Reg. cap. 25. Eſth. c. 7.
* Livius, Dionyſius plutarch, Iidem.

4. §. *Multum etiam poßunt hac in re ſacrorum antiſtites.*

Quomodo

Quomodo Alexandrum Magnum delinivit * Jaddus, pontifex Hierosolymitanus: Attilam item * Leo Romanus.

* Josephus l. 11. Antiquitatum judaicarū cap. 8.

4. Sect. *Postquam dispeximus de personis, quarum opera in ira lenienda usui esse potest: videndum de tempore maximè accommodo Primus quidem iræ impetus est difficillimus.*

* Cassiodorus in Chronic. item Var. l. 1. cap. 4. Paulus Diac. in Miscel. lib. 15.

Quo qui veniam impetrare laborant, tantundem agere videntur quàm si conentur, *Esurienti leoni ex ore exculpere prædam.* Ut est in Lucilii versu. Tantum enim abest, ut supplicium effugere liceat: ut fere nec supplicii modum tenere homines sciant. Idcirco Athenodorus. Plutarcho * teste, monebat Cæsarem Augustum, nequid iratus diceret, aut faceret, nisi viginti quatuor literas secum priùs percurrisset.

* in Apophtheg. ma.

5. Sect. *Minùs etiam periculosa est ira, si jam de altero supplicium sumptum sit.*

* Aristot. l. 2. Rhet. cap. 3.

Unde Philocrates * proditionis accusatus, tum demum, cum populum vidisset supplicio quorundam mitigatum oratione se voluit purgare.

* 4. Æn.

6. Sect. *Nec parum refert, ut sciamus* molles * aditus; & commoda tempora fandi. *Eòque, fieri si possit, captanda est occasio, cum lætitia nova jam fel atque amarorem omnem diluerit.*

Ut si hostem prælio, vel adversarium judicio vicerit

vicerit: item ſi honore auctus ſit, ſi ludis, vel conviviis vacet, aut aliter animum remittat.

8. Sect. *Supereſt oſtendamus, cujuſmodi oratio iræ ſedandæ conducat. Cùm ira oriatur ex opinione contemptus; non aliud melius ei leniendæ remedium eſt, quàm ſi quid oſtendamus non eſſe factum animo malo, aut ex contemptu; ſed vel irâ vel caſu excidiſſe: ſimiliaque egiſſe aliquando erga ſuos, ubi deſpectus fuit nullus.*

9 Sect. *Præterea prodeſt, ſi dicamus, priora benefacta eſſe majora præſenti injuriâ.*

Nam ut ait Terentius*, *Multa ex quo fuerint commoda, ejus incommoda æquum eſſe ferre.* *Hect. Act. 5. Sc. 4.

10. Sect. *Ingenuè autem teſtandum, dolere nobis ob delictum.*

Quomodo Demipho, ut fratrem purget, ad Nauſiſtratum ait *. * Phor. Sec. ult.

"Verum quando jam accuſando fieri infectum non poteſt, Ignoſce, orat, confitetur, purgat: quid vis amplius?

Atiam Pamphilo rogante Davum *, *An non dixi hoc eſſe futurum?* reſpondet ille, *Dixti:* porro ſubjiciente hic Pamphilo, *Quid meritus es?* ille ſine circutione ait, *Crucem.* Quæ ingenua confeſſio multum ad ſedandam iram valebat. Nam generoſa mens, quia nihil præter gloriam æſtimat, ferè conquieſcit, ſi is, qui offendit ſupplex ſe demittat. Pulchrè Ovidius * * Andr. Act. 3. Sc. 5

* Lib. 3. Triſt. el. 3.

Corpore magnanimo ſatis eſt proſtrare leoni.
Pugna ſuum finem, cum jacet hoſtis, habet.

At viles animæ iram non deponunt, niſi par, vel majus dederint malum.

11. Sect. *Poſtremò oſtendendum, quantum fructus in poſterum percipi ex eo poſſit, cui ignoſci poſtulamus. Ut ſi dicamus, eum multa magnà ſpe paratum eſſe facere in laſi ſpem gratiæ: nec ipſum modo, ſed etiam amicos. Item addemus, quantum quis gloriæ ſit relaturus ignoſcendus inimico.*

Egregium, deliniendæ iræ exemplum præbent tres legati Homerici, * Phœnix, Ulyſſes, & Ajax; qui miſſi erant, ut Agamemnonem conciliarent Achilli. Vide etiam Voluminiæ ad Coriolanum orationem apud Dionyſium, * Livium, & Plutarchum *.

* Il. 1. lib. 8. Antiq. Rom. * lib. 2. * in Coriolano.

CAP. IX.

De Amore.

Proximum eſt, de amore agamus: qui duplex eſt; prior amicitiæ, quo afficimur erga amicos; alter concupiſcentiæ, quo amamus pecuniam, vinum, & alia. Hîc loci agitur de priori amore, unde ita definitur.

11. Sect. *Amor eſt affectus, quo alicui optamus, quæ bona exiſtimantur; eademq; pro viribus efficere ſtudemus; non noſtri, ſed ejus cauſa quem diligimus.*

Ubi

Ubi tres conditiones obſervare eſt. Prima eſt, ut alicui optemus bona vel vera, vel ſaltem quæ bona eſſe arbitremur. Nec enim ſiquis, dum prodeſſe ſtudet, noceat propterea inimicus dicendus, quia actiones non æſtimamus ſecundum eventus, ſed ſecundum voluntatem.

Altera amoris conditio eſt, ut quæ bona judicamus, ea non optemus tantum, ſed etiam pro viribus procurremus.

Plautus Trinummo *, * Act. 2. ſc. 4.

Nequam illud verbum eſt, Bene vult, niſi qui bene facit. * Id eſt aliquâ re.

Et vir antiquis comparandus, Julius Scaliger, lib. IV. Epidorpidon *, * Sublemmate Fac.

Tu ſi ex animo forte velis cui bene factum,
Addas operam. Sola cadaver eſt voluntas,

Tertia conditio eſt, ut ita animati ſimus, non propter utilitatem propriam: ſed illius cauſa, quem diligimus: Nam, ut ait Cicero primo de natura deorum, *ſi ad fructum noſtrum referemus, non ad illius commoda, quem diligimus; non erit iſta amicitia ſed mercatura quædam utilitatum ſuarum. Prata, & arva, & pecudum greges, diligunt iſto modo, quod fructus ex iis capiantur, Hominum caritas, & amicitia gratia eſt.* † Laertius in vita Ariſt.

Differt amor & amicitia, quo amor ſit, erſi quis non redamet: in amicitia vero ſit amor mutuus: unde Ariſtoteles rogatus, † quid eſſet amicus, pulchrè reſpondet, μία ψυχὴ δύο σώμασιν ἐνοικοῦσα. †.

† Anima una in duobus inhabitans corporibus.

Quo pacto conciliemus amorem, Tullii

potiſſimum verbis oſtendam. Ait ille lib. 11. de oratore.

2 Sect. *Sentimus amorem conciliari, ſi id velle videare, quod ſit utile ipſis, apud quos agas, defendere: ſi aut pro bonis viris, aut certe pro iis, qui illis boni atque utiles ſint, laborare: namque hæc res amorem magis conciliat, illa virtutis defenſio charitatem: pluſque proficit, ſi proponitur ſpes utilitatis futuræ, quam præteriti beneficii commemoratio.*

3. Sect. *Enitendum eſt ut oſtendas in ea re, quam defendas, aut dignitatem ineſſe, aut utilitatem: eumque, cui conſilies hunc amorem, ſignifices, nihil ad utilitatem ſuam retuliſſe, ac nihil omnino feciſſe cauſa ſua. Invidetur enim commodis hominum ipſorum: ſtudiis autem eorum cæteris commodandi favetur.*

4 Sect. *Videndumque hoc loco eſt, ne, quos ob benefacta diligi volumus, eorum laudem, atque gloriam, cui maxime invideri ſolet nimis efferre videamur.*

Hactenus Tullius. Exempla autem conciliandi amoris ſuppeditabunt epiſtolæ commendatoriæ, de quibus libro ſequente cap. XXII.

CAP. X.

De Odio.

1 Sect. *Amori & Amicitiæ, opponuntur* Odium & Inimicitia.

2 Sect.

2 Sect. *Differunt odium, & ira primo quod ira illis rebus concitatur, quas unuſquiſque ad ſe aut ſuos pertinere cenſet: odium vero etiam iis, quas ad ſe non judicat pertinere*: quomodo & eum odimus, qui nunquam nobis nocuit.

3. Sect. *Præterea ira ſemper eſt adverſus ſingularia*, ut Titium aut Sempronium, *odium autem etiam adverſus Genus*, ut contra furem aut calumniatorem.

4 Sect. *Ira inſuper tempore ſanabilis eſt; odium inſanabile.*

5 Sect. *Ira dolorem afferre cupit, qui ſentiatur: odium calamitatem afferre ſtudet licet non ſentiatur.*

6 Sect. *Ira eſt cum dolore, ac moleſtia: odium eſt abſque ea.*

7 Sect. *Iratus ob adverſarii calamitatem tandem miſeretur, inimicus eum, quem odit, extinctum cupit.*

8 Sect. *Ratio odium gignendi eſt, ſi commemoremus actiones inimiciter adverſantes bono, quod amamus.* Ut ſi apud libertatis amantes referamus, quam miſero habeamur loco.

Quod Galgacus facit apud Cornelium Tacitum in Agricolæ vita: ubi, ut Britannorum ſuorum animos irritet adverſus Romanos inter alia in eos hujuſmodi invehitur oratione: *Raptores*, inquit, *orbis poſtquam cuncta vaſtantibus defuere, terras, & male ſcrutantur: ſi locuples hoſtis eſt, avari; ſi pauper, ambitioſi, quos non Oriens, non Occidens, ſatiaverit. Soli omnium opes, atque inopiam, pari affectu concupiſcunt. Auferre, truçidare, rapere falſis*

nominibus imperium, atque ubi solitudinem faciunt, pacem appellant. Liberos cuique ac propinquos suos natura charissimos esse voluit; hi per delectus alibi servituri auferuntur. Conjuges, sororesque, & si hostilem libidinem effugiant, nomine amicorum, atque hospitum polluuntur. Bona fortunasque in tributum egerunt, in anno: nam frumentum corpora ipsa, ac manus, sylvis, ac paludibus emuniendis, verbera inter, ac contumelias, conterunt. Nata servituti mancipia semel veniunt, atque ultro à dominis aluntur: Britannia servitutem suam quotidie emit, quotidie pascit.

CAP. XI.

De Indignatione.

1. Sect. Indignatio *est dolor ob alterius secundam fortunam qui fit indignus.*

Ut apud Moronem*.

*Ecl. 1. *Impius hæc tam culta novilia miles habebit?*
‖Ecl. 8. *Barbarus has segetes?* Item ‖

Mopso Nisa datur, quid non speremus amantes?
Junguntur jam gryphes equis, æquoque sequenti
Cum canibus timidi venient ad pocula damæ.

2. Sect. *Excitatur indignatio, sive vitæ prioris sordes, ac vilitas, cum præsentis temporis opibus, ac potentia, conferantur.*

Cicero in Vatinum: *Atque illud tenebricosi-*

cosissimum tempus ineuntis ætatis tuæ patiar latere. Licet impune per me parietes in adolescentia perfoderis, vicinos compilâris, matrem verberâris: habeat hoc præmium tua indignitas, ut adolescentiæ turpitudo obscuritate, & sordibus tuis, obtegatur. Exinde referre incipit, ut homo vilis, & obscurus, paulatim ad honores accesserit. Tandem illa subjungit: *Te cognati respuunt, tribules execrantur, vicini metuunt, affines erubescunt, strumæ denique ab ore improbo demigrârunt, & aliis jam se locis coll cârunt.* Quasi nempe adeò sit Impurus, ut strumæ ipsius aversentur hominem.

Similiter Horatius indignationem concitat adversus Menam, Pompeii magni libertum * * Lib. Epod. 4.

Lupis & agnis quanta sortitò obtigit,
Tecum mihi discordia est,
Ibericis peruste funibus latus,
Et crura durâ compede.
Licet superbus ambules pecuniâ,
Fortuna non mutat genus.
Vidésne, sacram metiente te viam
Cum bis ter ulnarum toga.
Ut ora vertat huc & huc euntium
Liberrima indignatio?
Sectus flagellis hic triumviralibus
Præconis ad fastidium,
Arat Falerni mille fundi jugera,
Et Appiam mannis terit.

Etiam elegans indignationis exemplum apud Martialem * habes in sutorem qui maximas * Lib. 9. opes erat consecutus; Epigramma claudit in epigr. 75. hunc modum.

At me literulas ſtulti docuere parentes.
Quid cum grammaticis, Rhetoribuſq; mihi?
Frange leves calamos, & ſcinde Thalia libellos,
Si dare ſutori calceus iſta poteſt.

CAP. XII.

De Invidia.

1. Sect. Invidia *eſt animi dolor ex alterius bono, quod pari, vel ſimili obtigit, non quòd eo ipſi careamus, ſed quod alius id habeat.*

* Lib. 2. de Orat. p. 405.

2. Sect. *Hujus doctrinam Ciceronis * verbis complectar.* Haud ſciam *inquit*, an acerrimus ſit omnium metus invidiæ; nec minùs virium opus ſit in eâ comprimendâ, quàm in excitandâ.

Quibus invideant homines.

3 Sect. Invident autem homines maximè paribus, aut inferioribus, cum ſe relictos ſentiunt; illos autem dolent evolâſſe. Sed etiam ſuperioribus invidetur ſæpe vehementer, & eo magis, ſi intolerantiùs ſe jactant, & æquabilitatem communis juris, præſtantiâ dignitatis, aut fortunæ ſuæ tranſeunt.

Triplex ratio ciendi invidiam.

4. Sect. Quæ ſi inflammanda ſunt, maximè dicendum eſt, non eſſe virtute parta; deinde etiam vitiis, atque peccatis. Tum ſi erunt honeſta, atque graviora; tamen non eſſe tanti ulla merita, quanta inſolentia hominis, quantumque faſtidium.

Quadruplex ratio ſedandæ invidiæ.

5. Sect. Ad ſedandum autem magno illa labore magnis

magnis periculis esse parta; nec ad suum commodum, sed ad aliorum esse collata; seseque, si quam gloriam peperisse videatur, tametsi ea non sit iniqua merces periculi, tamen ea non delectari; toramque abjicere atque deponere; omninoque perficiendum est (quoniam plerique sunt invidi, maximeque est hoc commune vitium, & pervagatum) ut hæc opinio minuatur, & ille excellens opinione fortuna, cum laboribus & miseris, permista esse videatur.

Hæc Tullius de invidia; quæ quia turpis est, eo ab hominibus occultari solet nomine æmulationis: de qua inferius dicemus. Nunc de misericordia videamus.

CAP. XIII.

De Misericordia.

1 Sect. *Misericordia est animi ægritudo ex damno vel malo, quod videtur ei dolorem, aut interitum allaturum, qui indignus est hac fortuna, quodque aliquis existimet, aut sibi, aut suorum cuipiam, posse contingere, idque cum imminere videtur.*

Definitio hæc quinque conditiones comprehendit.

Prima est, ut sit ægritudo exorta ex eo, quod malum sit, vel esse vedeatur. Nam etiam miserentur homines eorum, qui vere fælices sunt, sed ipsis miseri videantur. Ita Abderitæ

miſerti fuere Democriti ſui, quem inſanire credebant: ſed Hippocrates ea propter ab iis arceſſitus, ſtudiis illius perſpectis, judicavit, & ſapere eum, & fœlicem vitam degere.

Altera conditio eſt, ut malum hoc perdere hominem, vel gravem ſaltem moleſtiam adferre valeat. Hujuſmodi ſunt egeſtas, cruciatus, morbi, mentis alienatio, & ſimilia, quibus vel animi, vel corporis, vel fortunæ bonis privamur. Levior autem dolor miſericordiam nulli movet prudenti.

Tertia eſt conditio, ut qui malum patitur, videatur ea fortuna indignus. ut ſi vir pius: unde ad ciendam miſericordiam valet hoc * 2. Æn. Maronis *.

—Nec te tua plurima, Panthu,
Labentem pietas, nec Apollinis inſula texit.

Aut ſi vir fuerit fortis, & egregiè de patria meritus. Nam, ut Cicero ait +, "Quem noſtrum ille moriens apud Mantineam Epaminondas non cum quadam miſeratione delectat? qui tum denique ſibi avelli jubet ſpiculum ||, poſteaquam ei percunctanti dictum eſt, clypeum eſſe ſalvum ut etiam in vulneris dolore cum laude moreretur.

+ Epiſt. Lucecium.

|| Paulo tamen aliter hanc rem narrat Juſtinus l. 6. ex Trogo

Quarta conditio eſt, ut qui exiſtimet, ſe, vel ſuorum quempiam, mala illa pati poſſe. Vnde idem Cicero *: "Jam miſericordiam movetur, ſi is qui audit, adduci poteſt, ut illa quæ "de altero deplorentur, ad ſuas res revocet, "quas aut tulerit acerbas, aut timeat, aut intuens alium, crebro ad ſeipſum revertatur.

* Lib. 2. de Orat.

Vltima conditio eſt, ut credatur malum illud

illud propè esse. Nam quæ multo post tempo is intervalla eventura sunt, ea parum movent.

2 Sect. *Quo vero malum misericordiam facilius cieat; exaggerare illud oratores solent ab adjunctis personæ, loci, temporis, finis, modi.*

3 Sect. *Personæ, ut si nobilis, sago vel togâ clarus: si innocens, candidus, affabilis.*

4 Sect. *A loco; ut si miseriæ adsint spectatores, quos minime vellet.*

5 Sect. *A tempore, ut si quis in flore juventutis de medio tollatur.*

6 Sect. *A fine, ut si patiatur, quia bonam Ecclesiæ aut Reip. causam deserere noluerit.*

7 Sect. *A modo, ut si in hominem dignitate pollentem statuatur supplicii genus, quo in viles sòlùm homines solet animadverti.*

8 Sect. *Multum autem mòvet, si miseri coràm adsint, & signa edant accommoda istis temporibus.*

Unde olim rei supplicabant veste obsoletâ, barbâ capillisq; promissis: imò parentes & cognatos adducebant sordidatos.

9 Sect. *Valde etiam officere solet comparatio inter fortunæ prioris fælicitatem, & miseriam præsentem.*

Ut cum Homerus de cadavere Hectoris ad currum alligato ab Achille, ait †; † Il. χ. P. 402.

——Κεῖτο δ' ἅπαν ἐν κονίῃσι
Κεῖτο, πάρος χαρίεν. *Totum verò cæsum in cineribus jacebat, olim gratiosum.*

Cui geminum hoc Maronis †. † En. 2.

——*Quan-*

———*Quantum mutatus ab illo.*

Hectore. Ubertim autem hoc Comparationis loco misericordiam Cicero movet in peroratione orationis pro Muræna: " Modo maximo " beneficio Populi Romani ornatus fortunatus " videbatur, quòd primus in familiam veterem; " primus in municipium antiquissimum, con- " sulatum attulisset: nunc idem squallore sor- " didus, consectus morbo, lachrymis ac mærore " perditus, vester est supplex, Judices, vestram " fidem obtestatur, misericordiam implorat, " vestram potestatem, ac vestras opes intuetur. " *Et post pauca:* Si, (quod Jupiter omnem a- " vertat) hunc vestris sententiis afflixeritis; " quò se miser vertet? domúmne? ut eam ima- " ginem clarissimi viri, parentis sui, quam pau- " cis ante diebus laurearam in sua gratulatione " conspexit eandem deformatum ignominia, " lugentémque videat? an ad matrem, quæ mi- " sera modò consulem osculata filium suum, " nunc cruciatur, solicita est, ne eundem paulo " post spoliatum omni dignitate conspiciat? Sed " quid ego matrem, aut domum appello, quem " nova pœna legis, & domo, & parente, & om- " nium suorum consuetudine conspectúque " privat? Ibit igitur in exilium miser? ad Ori- " entisne partes in quibus annos multos legatus " fuit, & exercitus duxit, & res maximas gessit? " at habet magnum dolorem, unde cum hono- " re decesserit, eodem cum ignominia reverti. " An se in contrariam partem terrarum abdet, " ut Gallia transalpina, quem nuper summo " cum imperio libentissimè viderit. Eundem " lugentem, mœrentem, exulem videat? in ea " porrò provinciâ quo animo C. Murænam " fratrem

"fratrem ſuum adſpiceat? qui hujus dolor? "qui illius mœror erit? quæ utriuſq; lamen- "tatio? quanta autem perturbatio fortunæ, at- "que ſermonis? quòd quibus in locis paucis "antè diebus factum eſſe conſulem Murænam "nuntii literæq; celebraſſent. Et unde hoſpi- "tes atq; amici gratulatum Romam concurre- "rent, repente eo accedat, ipſe nuntius ſuæ "calamitatis? Vide etiam epilogum orationum pro Quinctio, & L. Flaceo.

CAP. XIV.

De Æmulatione, & Contemptu. Item epilogus doctrinæ de affectibus.

1 Sect. *Superſunt æmulatio, & contemptus: Eſt autem* Æmulatio *perturbatio animi ob bona mentis honorata, quæ pares, aut ſimiles, aſſecuti videantur, non quod eo aliis adſint, ſed quia nos iis careamus.*

Itaq; emulatio bona eſt, & honeſta, contra quam in invidiâ fit. Æmulatio enim hominem excitat, ut ipſe quoq; bona conſequatur. Invidia agit, ne alter potiatur bonis.

2 Sect. *Æmulatio excitatur, quando paribus, aut ſimilibus, bona adeſſe videmus, quibus jure debeatur honos*: ut ſunt virtus, & eruditio: *vel ſaltem, per quæ benefici eſſe poſſumus*; uti magiſtratus, quem qui gerunt, de plurimis bene merendi habent facultatem: *vel deniq; bona illa, quibus propinqui, & familiares,*

ores, frui nobiſcum poſſunt: ut ſunt horti amœni, bibliotheca, & ſimilia.

3 Sect. *Æmulationi opponitur* Contemptus ; *quo alios deſpicimus, quia nihil laude & honore dignum habeant, eorumq; diſſimiles videantur, quorum nos æmuli ſumus.*

Hinc Cicero lib. 11. de Offic. *Deſpiciunt eos, & contemnunt, in quibus nihil virtutis, nihil nervorum putant. Non enim omnes eos contemnunt, de quibus male exiſtimant. Nam quos improbos, maledicos, fraudulentos putant, & ad faciendam injuriam inſtructos, eos haud centemnunt quidem, ſed de iis male exiſtimant. Quamobrem, ut ante dixi, contemnuntur ii, qui nec ſibi nec alteri proſunt, ut dicitur, in quibus nullus labor, nulla induſtria, nulla cura eſt.*

Ita eos quoque contemnimus, qui opulenti quidem ſunt, ſed deſtituuntur veris bonis. Unde Diogenes, † vel, ut alii volunt, Ariſtippus, cùm in ſplendida domo convivio eſſet exceptus, in hominis fortunati faciem expuit, atq; adjecit, χείρονα τόπον μὴ ἐυρηκέναι †.

† Laertius in Diogenis vitâ.

† Locum deteriorem non inveniſſe ſe. *Puta, quam ejus facies eſſet.*

HACTENUS de Affectibus dictum, in quibus illud universè eſt obſervandum quod apud Ciceronem monet Antonius. † "Primùm "*inquit*, conſiderare ſoleo, poſtuletnè cauſſa, ut "animi hominũ moveantur. Nam neq; parvis in "rebus adhibendæ ſunt hæ dicendi faces; neq; "ita animatis hominibus, ut nihil ad eorũ mentes oratione flectendas proficere poſſimus: ne "aut irriſione, aut odio digni putemur, ſi aut "tragœdias

† Lib. 2. de Orat. pag. 404.

" tragœdias agamus in nugis ; aut convellere a-
" doriamur ea, quæ non poſſunt commoveri.

Præterea obſervandum, ut (quemadmodum Cicero ibidem ait) " omnes ii motus, quos
" orator adhibere volet judici, in ipſo oratore
" impreſſi, atque inuſti eſſe videantur. Neque
" enim facile eſt perficere, ut iraſcatur, cui tu
" velis, judex, ſi tu ipſe id lente ferre videare:
" neque ut oderit eum, quem tu velis, niſi teip-
" ſum flagrantē odio ante viderit. Neq; ad miſe-
" ricordiam adducetur, niſi ei tu ſigna doloris
" tuis verbis, ſententiis, voce, vultu, collachry-
" matione denique oſtenderis. Ut enim ulla ma-
" teries tam facilis ad exardeſcendum eſt, quæ,
" niſi admoto igni, ignem concipere poſſit ; ſic
" nulla mens eſt tam ad comprehendendū vim
" oratoris parata, quæ poſſit incendi, niſi in-
" flammatus ipſe ad eam, & ardens acceſſeris.
Pulchre igitur Horatius in Arte ;

——— *Si vis me flere dolendum eſt*
Primum ipſi tibi, tum tua me infortunia tangent,

CAP. XV.

De Moribus.

1. Sect. Tertia *Inventionis pars conſiderat τὰ ἤθη, ſive* Mores : *qui hic ſpectantur, non quatenus ex vita oratoris naſcuntur ; ſed quatenus ex oratione dicentis elucent, ita ut ἤθη hoc loco nihil aliud ſint, quam naturæ, atque animi indicia ſive notæ, oratione expreſſæ ad ſignificandum virtutes aut vitia, vel etiam affe-*

ctus

Eius quatenus illi ad virtutes, aut vitia referuntur

2 Sect. *Quo morata sit oratio, ante omnia id agendum est oratori ut in oratione ejus reluceant prudentia, probitas, benevolentia.*

* Cic. 2. de Orat.

3 *Sect. Prudentia quidem, quia* * iis fidem habemus, quos plus intelligere, quam nos, arbitramur.

† Ibid.

4 *Sect. Probitas, quia*, quo † quis versutior, & calidior est, hoc invisior, & suspectior, detracta opinione probitatis.

5 *Sect. Benevolentia quia, ut prudens quis, & probus credatur : tamen si odisse nos, vel alteri parti melius vel existimetur, minime nobis recte velle consulere judicabitur. Contra, si ametur Orator, habet quasi helepolin quandam, qua absque violentia, animos auditorum invadat.*

Vt si videamus, virum gravem nullum refugere periculum, quo consulat nobis : cujus rei illustre exemplum præbat Cicero initio Invectivæ quartæ in Catilinam.

Tria autem hæc etiam Cicero complexus videtur, cum lib. 11. ad Att. ait : *hunc mihi, & consiliis opus est tuis, & more, & fide.* Nam consilium ad prudentiam refertur, fides ad virtutem, amor ad benevolentiam.

Quantopere vero opus sit, ut aliquem benevolum nobis putemus ; etiam Maro ostendit quarto Æneidos ; ubi Junonem sic inducit loquentem ;

Sed quis erit modus ? aut quo certamine tanto ?
Quin potius pacem æternam pactosque hymenæos
Exercemus ? habes quod tota mente petisti ;
Ardet amans Dido traxitque per ossa furorem,

Communem

Communem hunc ergo populum paribuſq; regamus
Auſpiciis liceat Phrygio ſervire marito;
Dotaleſq; tuæ Tyrios permittere dextræ.

Quid oratione iſthac in ſpecie, vel honeſtius, vel utilius fuit? Et tamen perſuadere haud potuit Veneri. Neque obſcura eſt ratio.

———*Senſit enim ſimulata mente locutam.*

Nec credere potuit, Junonis animum tantopere eſſe immutatum, ut nunc benevellit Æneæ, cui ſemper fuiſſet infeſta.

6 Sect. *Præterea, quo morata ſit oratio, prudentis eſt oratoris mutare τὸ ἠθικὸν pro natura gentis ejus, apud quam dicit.*

Illuſtre ejus rei exemplum habemus in Alexandro magno apud Curtium, lib. III. ubi variâ oratione, ut cujúſq; gentis animis aptum erat, milites alloquitur. Paucis eandem rem complectitur Juſtinus lib. II. "Alex-
" ander, *inquit*, circumvectus ſuos, ſingulas
" gentes diverſa oratione alloquitur, Ilyrios &
" Thracas opum ac divitiarum oſtentatione;
" Græcos veterum bellorum memoria, interne-
" civiq; cum Perſis odii accendebat: Macedones
" autem nunc Europæ victæ admonet, nunc ex-
" petitæ; nec inventos illis toto orbe pares viros
" gloriatur. Cæterum & laborum finem hunc,
" & gloriæ cumulum fore.

7. Sect. *Adhæc prudentis eſt oratoris videre, utrum dicat in μοναρχίᾳ, ſive unius principatu an ἀριστοκρατίᾳ, ſive optimatium imperio, aut*

δημοκρατίᾳ

δημοκρατία, *sive populi potestate.*

8 Sect. *In monarchia rex imperat, ubi Orator spectat custodiam principis. Atque apud hunc verbis opus est byssinis, ut Parasyta ille ait apud Plutarchum* *.

* In Apophthegma.

9 Sect. *In Aristocratia regit Senatus. Ac valent hic honesta, & legitima; omniaq; metiri oportet disciplina legum, & divitiis civitatis.*

10 Sect. *In democratia potestas est penes tribus: estq; hic difficillimum dicere quia ferè, ut Tacitus* * *ait, privata est cuique stimulatio, & vile decus publicum. Interim libertatis hic præcipue ratio habetur.*

* Lib. 1. hist.

11 Sect. *Nec satis est finem spectare Reip. sed, oratio nostra conveniat naturæ, atq; ingeniis auditorum, attendere opus est diversos eorum mores. Variant autem illi quatuor præcipuè modis.*

12 Sect. *Primo, ratione affectuum: quia aliud ἠθος irati, aliud placidi, aliud item verecundi, aliud impudentis atq; ita in aliis.*

13 Sect. *Deinde rationem habituum bonorum ac malorum: quomodo aliter affectus est justus, aliter injustus, item fortis aliter, ac ignavus; & par ratio in cæteris virtutibus, ac vitiis.*

14 Sect. *Tertio, ratione ætatis: quia aliis moribus est juvenis, aliis vir, aliis senex.*

15. Sect. *Quarto, ratione fortunæ, quia alii sunt mores nobilis, quam ignobilis; alii divitis, quam pauperis; alii potentis, quam impotentis, alii fortunati, quàm infœlicis.*

16 Sect. *De affectibus satis antea diximus. De virtutibus, item ac vitiis, actum in genere demonstrativo. Quare supereſt, ut hoc loco mores spectemus ratione ætatis, ac fortunæ.*

Ac

Ac ætatum quidem mores egregie deſcribunt Ariſtoteles in Rhetoricis, & Horatius in Arte. Item recentior ille quidem, ſed par antiquis, Julius Cæſar Scaliger. Cujus verba apponam ex lib. III. Poetices cap. XV. De moribus adoleſcentum inquit.

17. *Sect.* Fertur atque etiam impellitur ætas prima, tum facile tum vehementer ad ea quæ concupiſſet. Concupiſſet autem & ſtatim & multa potita contemnit: ad alia animum appellit: præceps potius animus, quam magna volvens. Iram, atque animum ipſum in fronte, atque ore gerunt. Antevertit impetus deliberationi, facta verbis, pœnitentia profectioni. Honoris, atque prælationis exactores importuni potius, quam ſeduli vindicatores. Contemptus ultores: ipſi contemptores diverſorum à ſuis ſtudiorum. Laudatoribus ſuis favent: odere monitores. Potentiæ ſtudioſi, opum negligentes. Spe enim alunt fiduciam ſui. Liberalitatem exercent, ignari fortunæ deterioris. Omnino ſimpliciratem & à ſe profitentur, & ab aliis exigunt. Parum ſuſpicaces, creduli multum. Honeſta utilibus anteponunt: nondum enim acuit eos rerum experientia. Sibi ipſis lex ſunt. Sodalitatum, atque ſocietatum ſtudioſi, ſibi ita vivunt, ut credi velint aliis quoque vivere. Denique nihil mediocre. Alienarum miſeriarum pii obſervatores, ſuarum ſecuri. In jocos ſoluti, verecundiæ obnoxii in erroribus, elati in benefactis.

De

De ἀκμῇ, sive mediâ ætate, scribit hoc modo.

18. *Sect.* Omnino autem juvenis natura inter adolescentiæ, ac senectutis tempora, ut media est ita & particeps. Tum vitiorum, tum virtutum, scilicet affectuum, atque propensionem.

De ætate senili sic idem Scaliger.

19 *Sect.* Senilis ætas maxima ex parte moribus est contraria adolescentiæ. Ergo, quod diu vixerint parum sperant, pauca moliuntur, præteritis gaudent; quæ sola probant præ iis, quæ præsentia sunt; quibus non acquiescunt. Novarum rerum obtrectatores, semper habent, quod objiciant. Soliciti officiorum exactores ad rem attenti ac difficiles ad persuasiones, cauti, atque etiam suspicioſi. Multa enim indigne, aut se, aut alios perpessos meminere. Ac quemadmodum adolescentes spe, ita senes memoriâ metiuntur omnia. Raro infirmant ea, quorum non habent exemplum in memoria; rarius dejiciuntur de sententia; rarissimè sibi alias anteferri patiuntur ætates. Meticuloſi, pertinaci ulterioris vitæ expectatione queruli. Odia hoſtiliter exercent, atque etiam convitia. Garruli, importuni interpellatores, semper etiam quippiam imminentis mali minitantur. Quamobrem exercent frequentissimas comparationes.

Et hæc de ætate.

20. Sect.

20 Sect. *Præterea variant mores ratione fortunæ.*

Juxta illud Euripidis in Hyppolyto:
Πρὸς τὰς τύχας γὰρ τὰς φύσεις κεκτήμεθα
Et illud Terrentii Hecyrâ: † *Omnibus nobis, ut res dant ſeſe, ita magni atque humiles ſumus.*

† Fortuna prout eſt, quilibet animum gerit.

21. Sect. *Fortuna quatuor præcipuè modis ſpectatur, nempe qua nobiles aut ignobiles: potentes vel impotentes; divites, aut pauperes; fortunati, vel infelices.*

‖ Act. 3. ſc. 5.

Quæ quatuor etiam Terentius hoc verſu complexus eſt in Adelphis: * *Potentes, dites, fortunati, nobiles.*

* Act. 3. ſc. 5.

22. Sect. *Nobilitas eſt dignitas majorum, ſunt autem nobiles honoris maxime ſtudioſi. Quiſque enim bona, quæ poſſidet ſtudet augere.*

23. Sect. *Nec ſolum deſpicere eos ſolent qui nullos conſecuti ſunt honores; ſed etiam homines novos, quorum parentes, nulla indignitate fuerint.*

Ita Metellus contemnebat. C. Marium ac conſulatum ei invidebat, unde de eo ſic Salu-‖ Belli Juſtius; ‖ *Inerat contemptor animus, & ſuperbia, commune nobilitatis malum.*

gurth c. 64

24. Sect. *Imo etiam præ ſe aſpernantur, qui nobili ſunt domo nati, ſed minus antiquâ.*

Nam nobilitas vetuſtatis generis ſplendorem ac gloriam auget, unde Horat. † *Macenas*

† Lib. 1. Od. 1.

Macenas atavis edite regibus.

‖ Lib. 2. Od. 17. Item ‖

Æli vetuſto nobilis ab Lamo.

25 Sect. *Differunt nobiles, & generoſi,* εὐγενεῖς καὶ γενναῖοι, *quod nobilitas ſit in virtute generis ac majorum; generoſitas in eo, quod à virtute majorum non deficiant, Undè liquet, nobiles quidem, at non item generoſos eſſe, qui generi ſuo opprobrio magis ſunt quam ornamento.*

Recte Sophocles.

Ζῆν αἰσχρὸν αἰσχρῶς τοῖς καλῶς πεφυκόσι. *

†Eſt turpe vivere turpiter natos bene.

Et Horatius. †

Utcunque ‖ defecere mores,
Dedecorant bene nata culpa.

* Lib. 5. Od. 4.

26. Sect. Divites *habent mores hujuſmodi, Contumelioſi ſunt, ac ſuperbi. Nempe facile ſibi perſuadent præſtare ſe cæteris, quia divitias poſſident, quibus venalia ſunt omnia.*

‖ Id eſt, ubicunque.

27. Sect. *Præterea ſunt molles; adeo ut luxuriâ ſæpe diffluant. Nec enim in vita illa delicata fieri aliter poteſt; præſertim cum ament oſtentare felicitatem ſuam.*

28 Sect. *Adhæc jactabundi ſunt, qui ob divitias omnibus; ſe admirationi eſſe arbitrantur.*

29. Sect. *Etiam imperio dignos ſe putant, quia habent illa, ob quæ multi honores publicos ſuſpiciunt, atque etiam affectant.*

30. Sect. *Vt paucis obſolvam, fere ita divitiis ſuis excæcantur, ut ſimiles ſint inſipientibus, qui bona habent nec uti illis ſciunt.*

31. Sect. *Cumque ejuſmodi fere ſint divitum mores: deteriores tamen ſunt; qui nuper divitias domum ſunt conſecuti, Quales rationem*

nem iis utendi ignorant. Tales injuriam inferre gaudent, non tam malitiâ, quam ob petulantiam; ut cum cædunt homines liberos: vel ob intemperantiam; ut cum stupris domôs honestas dedecorant.

Hoc ἔθος tangit Cicero, cùm de T. Roscio ait *, *Qui in sua re fuisset egentissimus, erat, ut fit, insolens in aliena.* Et Maro cujus illud de Numano *,

Vociferans, tumidusq; novo præcordia regno.

* Orat. pro Rose. Amer.

* Æn. 9.

32 Sect. Potentes *partim divitibus similes sunt, partim paulò meliores. Nam magis sunt honoris studiosi, magisque virili animo. Nam ea negotia adfectant, quæ solis administrare licet propter potentiam.*

33 Sect. *Sunt etiam magis industrii, quia cogitare semper coguntur de iis, quæ ad opes & potentiam conservandam, vel etiam augendam, pertinent.*

34 Sect. *Præterea quia ob dignitatem, quam habent, in oculis omnium versantur: ita ut, quæ dicunt, vel faciunt, latere niminè possint, eò in incessu, vestitu, & vitâ omni, modestè se gerunt; quod multum eorum gloriam auget.*

35 Sect. *Quod si alios mactare injuriâ velint, id potiùs faciunt in rebus magnis, & quæ illorum potentiæ respondeant.*

36 Sect. *Supersunt* Fortunati, *quo nomine etiam censentur nobiles, divites & magnâ in potestate constituti: sed tamen latiùs ea vox patet, quia fortunati etiam dicimur, si valetudine utamur bona, si liberi nobis sint probi, &*

egregiis

egregiis animi ac corporis dotibus ornatis itémq; ab aliis bonis, quæ ad ſecundam pertinent fortunam.

37 Sect. *Quod ad eorum mores attinet, ſolent tales quoq; ſuperbi eſſe, atq; inſolentes.*

Quippe, ut ait ille, *

* Ovid. 2. de Art.

Luxuriant animi rebus plerúmq; ſecundis:
Nec facile eſt æquâ commoda mente pati.

38 Sect. *Sed uno tamen nomine commendabiles ſunt, quod Deum plerúmq; omnes magis metuant, ac colant. Quod inde contingit, quia vident, benignitate numinis bona iſta ſibi obtigiſſe.*

Exemplo eſt Cyrus apud Xenophontem, & Theſeus apud Euripidem in ſupplicibus.

39 Sect. *Ex contrariorum vero natura ſatis cognoſcitur, quibus moribus ſint, qui his opponuntur: ignobiles dico, pauperes, abjecti, & infelices.*

* Formidoloſus pauper eſt ad omnia, & eſſe cunctis ſe putat contemtui.

Aliquid ejus attingit Menander his verſibus.

Πρὸς ἅπαντα δειλὸς ὁ πένης ἐστὶ πράγματα,
Καὶ πάντας αὐτῷ καταφρονεῖν ὑπολαμβάνει.

Terentius in Adelphis, * ubi ait:

* Act. 4. Sc. 3.

Omnes quibus res ſunt minus ſecundæ, magis
ſunt neſcio quomodo.

Suſpicioſi

Suspiciosi: ad contumeliam omnia accipiunt magis, propter suam impotentiam se semper credunt negligi *.

* vel *calvien.* Faenum vide in notis ad eum locum

4 Sect. *Atque sufficiat dixisse de Inventione generali & supplici, tum probationum, tum affectuum, tum morum: quorum quia non par ubique est momentum: sed quædam interdum se offerunt, vel levia, vel à causa aliena, vel parum utilia; magno semper in argumentis, quæ ex locis istis hauriuntur, delectu opus est: quemadmodum superius* † *etiam diximus.*

† lib. cap. 2. sect. 4.

Hoc non attendunt, qui pati non possunt, ut pereat eorum quicquam, quæ invenerunt: quasi satis foret, ut magnam in molem excrescat oratio. Atqui quod de magno poemate dicebat Callimachus, magnum librum, magnum esse malum: id de orationibus talium jure possumus dicere. Merito etiam his occentare licet illud Nazianzeni † Κείτει τὴν πῶλον περὶ τὴν νυσσαν *. Quare ita potius orationem instituit prudens orator, ut elogium illud mereatur, quo Cassium Severum prosequitur M. Seneca || *Timebamus, ne desineret.*

† Orat. 38. quæ panegyrica est in Christi natalem.

* Stimula equum ad metam.

|| Præfat. l. 3. controv.

CAP. XVI.

De Inventionis parte speciali universè, ac distincte de orationibus panegyricis, & aliis quæ iis sunt adfines.

1 Sect. *Accedamus nunc ad alterum inventionis*

nis partem: quæ magis specialis est, & minus simplex. Hæc docet ut ea, quæ de probationibus, affectibus, moribus, seorsim antea exposuimus, in materia particulari coeant, ac misceantur.

2 Sect. *Specialis ista materies, uti ratione affectuum morumque pertinet ad affectuum & morum locos: ita ratione probationum, vel generis est demonstrativi, vel deliberativi, vel juridicialis.*

3 Sect. *Orationes illæ quæ demonstrativo generi subjiciuntur, videntur nobis non incommode digeri posse in quatuor classes. Earum prima continebit panegyricas, & illas, quæ proxime ad has accedunt.*

4 Sect. *Panegyricæ proprie dicebantur, quæ haberentur, cum in certis celebritatibus unum in locum convenissent Græci universi.*

5 Sect. *Harum initium, quo splendidius esset, sumi solet ab laude ejus Dei, qui ludo ac panegyri præesset.*

Vt Olympii Jovis in ludis Olympicis, Apollinis in certamine Pythico.

6 Sect. *Laus illa petebatur á genere à muneris dignitate, ab inventis atque effectis.*

Ita Jovem laudabant, quia deorum hominumque rector esset: Apollinem, quia Musicen inveniisset, & quod idem esset ac Sol, cui, quicquid sunt, debeant mortales: Herculem item, quia esset Jovis filius, monstrorum domitor; & ita in aliis. Sed hæc, quia pervulgata sunt, parcè dicebantur; nisi forte aliquid depromi

promi simul posset de reconditæ eruditionis penu.

7 Sect. *Deinde sequebatur laus gentis, vel urbis, ubi fierent ludi.*

Quomodo laus ista institui debeat, dictum est lib. 1. cap. IV. §. 37.

8 Sect. *Tertio loco agebant de certamine. Cujus ortus atq; initium primò exponebatur. Atq; hic fabula, vel prisca aliqua narratio, adferri solet. Tum conferebatur hoc certamen cum aliis, vel loci ratione, vel temporis, vel utriusq;.*

A loco quidem, ut si certamen esset Delphis, qui orbis credebatur umbilicus.

A tempore verò hunc in modum. Si ver esset, dicebatur id tempus esse maximè temperatum: si hyems, laudabatur inde, quod tum magis vegeto simus corpore: si æstas, negabatur tempus esse ullum magis idoneum vel ad exercendum se, vel ad spectandum: si autumnus, commendabatur, quia fructibus abundet.

9 Sect. *Sed imprimis inde certamen laudabatur, quia plura, aut majora, in eo spectarentur.*

Ut si & gymnicum, & musicum foret, laudabatur certaminis perfectio: quia gymnicum adauget vires, & musicum reficit ac recreat animum. Sin gymnicum tantummodo esset, dicebatur, musico illo concentu animum masculum emolliri: eoq; hoc omisso, illud esse

reſervatum, quod vires auget, & præparat ad bellum.

10. Sect. *Item tractabant de præmio certantium.*

Quale erant libetes, pelles, coronæ, ut ex Pindaro conſtat. Coronarum verò materies erat diverſa. Ad quernæ laudem pertinebat, quòd quercus ſummo Jovi ſit dicata, quodq; ea olim locuta feratur, & antiquis etiam præbuerit cibum. Oleaginæ hæc laus, quòd olea ſacra ſit Palladi; quæ & ejus frondibus, Neptuno victo, ſeſe coronavit.

Quod item ſumma ſit utilitas ejuſce arboris inter mortales. Sin, ex qua decerpta erat corona, ſterilis eſſet arbor; ut picea, quæ Cybelæ dicata, & Cypreſſus, quæ Diti ſacra: Dici potuit, virtutem ſibi ſufficere; eoque laudabili inſtituto, præmium tale conferri ubi non pretium rei attendatur, ſed virtutis teſtimonium duntaxat.

11. Sect. *Poſtremum obtinebat locum laus ejus, qui certamini præeſſet, ut principis: item votum, atque exhortatio, ut bonis omnes avibus decedant, memores tam felicis dici; atq; virtutem ſibi eorum, qui certârant, imitandam proponant; vel ſi quid offenderet, ignoſcant; tantoq; alacriùs ipſi ad virtutem inſiſtant viam.*

Fuſiùs paulò de his Dionyſius Halic. in Arte. Adde & Menandrum lib. 1. cap. xv. item Cæſarem Scaligerum, qui in his potiſſimum inſiſtit

insistit vestigiis Dionysii. Vide eum lib. III. de re poët. cap. CIX.

12 Sect. *Ac talis plurimùm methodus esse solet orationum earum quæ in panegyris recitaretur. Sed posterioribus temporibus non illæ solum vocatæ sunt panegyricæ quæ in solennibus dicerentur ludis ; sed etiam quæ coram nobili aliquo consensu, qualis est senatus, in principis laudem haberentur ; sive id fieret ut ei agerentur gratiæ, sive ut publico aliquid nomine postularetur ; sive alia de causa.*

Quare de tractatione illarum proximè dicemus.

13 Sect. *Commodè in istis auspicamur à rei difficultate.*

Ut si dicas, quemadmodum nulli datum est, mensuram pelagi immensi intuitu oculorum complecti ; similiter regias laudes à nemine oratione posse comprehendi.

14 Sect. *Vèl ordiemur à causa, quæ ad dicendum nos compulit.*

Ut, quod hominis sit improbi, tot beneficiis ornari à principe, nec gratum velle animum testari. Vel, quod duæ sunt res præcipue in hominum vitâ, religio in Deum, inq; principem pietas.

15 Sect. *Porrò in λαλιᾷ, sive declamationis genere ad voluptatem comparato, etiam somnium comminisci,*

miniſci, atq; inde incipere, ſolent Sophiſtæ.

Ut ſi in ſomnis dicas adſtitiſſe tibi Mercurium, & mandâſſe, ut laudares imperatorem. Imitari poſſis in hujuſmodi initio orationem Ariſtidis ſecundam, quæ eſt in Minervam; item quartam, quæ in Bacchum; & quintam: in Aſclepiadas.

16 Sect. *Hinc accedemus ad principis laudationem, à patria, genere, ortu indole ac natura, educatione, ſtudiis, rebus pace aut bello geſtis, & virtutibus, quæ in iis exulêre; item fortunæ ſplendore, liberorum præſtantiâ. civium benevolentiâ. Quæ illuſtriora fient, ſi inſtituatur comparatio cum aliis principum, non quidem ut hos vituperemus; quin potius eos admirationi nobis eſſe dicemus; ſed vero ut liqueat, laudes eas inferiores non eſſe in principe noſtro.*

Partem hanc non incuriosè tractat Menander lib. 11. cap. 1. & 11. Atque exemplo eſſe poſſunt Plinius, & Panegyriſtæ alii, cum Latini, tum Græci.

17 Sect. *Poſt laudationem iſtam prædicabimus temporum noſtrorum fælicitatem: negabimus eſſe quicquam, quod ſollicitè adeò à numine oporteat poſtulari, quàm incolumitatem principis: nec ſolùm pro eo rogabimus Deum, ut ſenex in cœlum veniat, & diu populo ſuo lætus interſit: ſed etiam ut imperium in liberos ac nepotes fæliciter propaget. Aliter quoque definire licebit: nempe ſi cives ad principis obſe-*

obſequium adhortemur, atque ad concordiam mutuam. Vel iis, quæ antea diximus, hæc adjungemus.

18 Sect. *Huc etiam orationem referre poſſumus, qua Vrbs aliqua principem donaret corona. In eâ urbs munus ſuum cum modeſta laudatione ſui proponeret.*

Nempe in hunc, ſimilemve modum, " Ve-
" nit ad te civitas noſtra earum, quæ imperio
" tuo ſubſunt, nulli vel gloria, vel amplitudine;
" vel amœnitate ſecunda; venit autem ut la-
" crum caput tuum hac corona condecoret.

19 Sect. *Hinc principis laus ſequebatur.*

Puta à genere, fortuna, quodque magno mortalium bono datus ſit terris, à liberis, & fælici eorum educatione, à rebus geſtis, & aliis, quæ antea expoſuimus.

20 Sect. *Poſt iſta dicebant, ut virtutibus tantis compulſa civitas, ac præterea beneficia ſibi præſtita grato æſtimans animo coronam amoris ſui indicem ac teſtem offerat, ſeſe totam ei dedat ac viciſſim ab eo expectet omnia, quæ à bono principe proficiſci poſſunt.*

Vide de hujuſmodi oratione Menandrum lib. II. cap. X.

21. Sect. *Adfine etiam eſt illud orationis genus, quod haberi ſolet ubi novus Vrbis præfectus adveniſſet. Ejus pars prima teſtabatur lætitiam civium inde abortam, quod ſibi laudatus*

adeo obtigisset præfectus, sive quod salvus in urbem advenisset, sive quod eum non conspiceret civitas, quem diu adeo summis exspectasset votis.

22. Sect. *Pars altera è priori præfecto occasionem arripit. Qui si inique se gessit exponi solent mala, quæ urbi dedit: atq; adjungitur, nunc ea omnia discuti virtute novi præfecti, haud aliter ac sol exoriens tenebras noctis fugat. Sin bene se gesserit dicendum, & bono nos præside nuper esse orbatos, & bonum, vel etiam meliorem nunc consecutos, nec posse dignas principi gratias haberi, qui tanta Urbis nostræ tangatur cura ut optimos semper præfectos mittat.*

23. Sect. *Tertia pars continere solet luculentam præfecti laudationem.*

Vti à gente, quod sit Athenienſis, aut Romanus, vel à genere, ut si ex Æacidis sit, aut âut Heraclides: item à virtutibus, ut temperantiâ, fortitudine, prudentiâ.

24. Sect. *Inde vero conjecturam faciemus de facilitate, quæ urbem manet.*

Negabimus, metum esse, ne nunc pauperes à facilè agentibus opprimantur præfectum enim fore Minoëm aliquem, vel Æacum, aut Rhadamanthum. Ac similiter incæteris agemus virtutibus.

25 Sect. *Postremo loco dicendum, ut pueri, senes: magistratus, cives: præfecto obviam jerint, quo suum complecterentur servatorem. Urbis mœnia, & templa, si loqui possent,*

possent, prædicatura esse felicitatem civium: solem ipsum præ lætitiâ nunc puriùs & splendidiùs lucere. Addendum, ut præfectus mox statuis sit condecorandus; poëtas, oratores, historicos, virtutem ejus celebraturos. Etiam gratiæ sunt agendæ Deo pro cura hujusmodi erga Urbem, & vota facienda pro salute præfecti.

Hæc quoque potissimùm expressa sunt de fonte Menandri, quem vide.

CAP. XVII.

De oratione nuptiali, item de epithalamiis.

1 Sect. *Altera classis orationum, quæ ad genus demonstrativum referuntur, occasionem capit ex conjugio, vel ortu, aut obitu hominis. Hujusmodi sunt oratio nuptialis epithalamium, & natalia, ac funebris oratio.*

2 Sect. *In* Nuptiali *oratione primitus aliquid de Jove ac Junone, tanquam conjugii auctoribus dici solet.*

Christianis Adami & Evæ historia impleverit eorum locum.

3 Sect. *Deinde dicendum de natura ipsa, à qua in animalibus, imo & plantis est, quod similes producant.*

4 Sect. *Tertio loco comparatio instituenda est inter hominis, cæterorumq; animalium congressus.*

Nam

Nam horum vagi sunt concubitus : hominis verò certus, & legitimus ; eòque, quasi ex lumine accepto lumine alio, conservetur generis ac familiarum immortalitas.

5. Sect. *Quarto loco commemorantur commoda conjugii. Quæ tria potissimum sunt. Primum est bona existimatio. Nam qui uxorem ducunt, illegitimâ Venere abstinent, solâq; uxore contenti vivunt. Hinc alterum emanat, quia liberos eorum patria habet, tanquam obsides quosdam : unde & tales meritò suis civibus sunt fideliores, cariores, magisq ; honorati.*

Tertium est, quia conjugium, & multas humana vitæ miserias absterget, & res lætas reddit lætiores.

Unà siquidem gaudent maritus, uxor liberi, affines ; ut ea sit velut lux quædam ex multiplici luce splendidiùs efflorescens. Quid enim tam commendat dies festos, quàm quòd multi unà lætentur ?

6 Sect. *Quartum est, quod conjugale illud contubernium occasio fuerit extruendi ædes ; ex ædibus autem coaluerint pagi ; ex pagis constitutæ sint civitates. Item quod conjugio concilient affinitates externas ; quæ res multùm valet ad societatem servandam in genere humano. Item quod multi conjugio immortale nomen sint consecuti.*

Uti Menelaus, conjugio Helenæ, Achilles, Thetidis. Ad metus quoque imatrimonio cum

cum Alceſtide fatalem dicitur mortem effugiſſe.

7 Sect. *Quintum locum obtinent vota, quibus ſponſo ſponſæque fauſta omnia comprecamur.*

8. Sect. *Sexto καθ' ὑποτύπωσιν fingemus liberos coram parentibus luſitantes, balbutientes, cantillentes; & ætate creſcenti jam majora majoraque meditantes.*

9 Sect. *Septimo figmentum hoc comparabimus cum pueritia ſponſi.*

Nam magnam adferre omnibus voluptatem ſolet primæ illius ætatis recordatio. Atque iſtiuſmodi hic ſimilitudine uti licebit: Si cuique jucundum eſt ſuam intueri picturam; quanto magis delectabit vivam ſpirantemque cernere imaginem ſui.

10. Sect. *Etiam exempla eorum poterimus adferre, qui parentibus ſuis decus immortale, vel etiam ſalutem attulere.*

Ita Anchiſes flammis Trojæ ereptus fuit opera Æneæ.

11. Sect. *Poſt illa inſtituitur ſponſi laudatio, & ſponſæ: ſed tum ea hi: locum habet ſi & ille, obſcurioris ſint nominis. Sin clari fuerint laus iſta magis conveniet initiis.*

12. Sect. *Inter ea vero, quæ ad laudem pertinent, etiam eſt ſimilitudo generis, patriæ, ætatis, facultatum.*

Notum

Notum illud Pitacci, τὸν κατὰ σαυτὸν ἔλα. *

j* Tu tibi unge parem.

12. Sect. *Immo ex dissimilitudine quoque elicere erit laudis occasionem. Nam patriæ diversitas illustrius est divinæ providentiæ argumentam. Affinitas cum diverso genere pertinet ad generis incrementum. Si studia fuerint diversa, ut si alter sit è domo forti, alter è sapienti; hæc res dicetur efficere admirabilem concentum: & addemus, quales futuros credibile sit, qui ex tali conjugio nascentur* *.

Atque hanc quidem methodum ex fontibus hausi Dionysii Halicarnass. Sed videndum, ne semper, quod dicitur, eadem oberremus chorda. Propterea alteram etiam rationem præscribam, quam à Menandro Rhetore accepi. Ita ad excogitandam aliam atque aliam expeditior erit junioribus via.

14 Sect. *Alter modus tractandi orationem nuptialem est istiusmodi. Initio aliquid afferres de argumenti difficultate: quæ augetur, si sponso, & sponsæ, genus obtigerit illustre. Adde causam, cur ad dicendum accesseris.*

Ut quod affinitate vel amicitia sponso, sponsæve, sis conjunctus: vel, quod hortati ad hoc officium illi sint, quibus nihil possis negare: vel quod in tanta celebritate absurdum sit non testari gaudium suum: vel simili modo.

15 Sect. *Etiam initiis convenit historia, vel fabula vetus de aliquo heroici temporis conjugio,*

& honore ſummo, quo illud Dii vel homines ſunt proſecuti.

Ut quod, num Dionyſius Ariadnam duceret, Apollo aderat, lyramque pecutiebar. Vel quod, Peleo nuptias celeber ante cum Thetide, item Cadmo cum Harmonia, muſæ ac dii præſentes fuere & alius lyram feriebat, alius tibiam inflabat, Mercurius autem hymnum canebat. Similiter quoque nunc alium choreas agere, alium ad tripudia excitare; nos vero orationem habere. Vel quod Megacle Agariſtam ducente, convenerit flos Græciæ & alius carmine, alius oratione, alius aliter nuptias decorarint.

16 Sect. *Pars altera continet nuptiarum laudationem.*

Ut, quod ſtatim poſt chaos digeſtum, Natura, ſive Amor, nuptias induxerit; ac Jovi quoque conciliarit cum Junone conjugium; ac aliis, item majorum gentium Diis nuptias perſuaſerit; imo & auctor fuerit ſemideis ut nymphas ſibi jungerent; Dionyſium etiam inter mortales conjugium induxiſſe, atque eo beneficio melius eſſe meritum de genere humano, quam Prometheum, cum monſtraret ignem furreptum. plenum eſſe mare, plenas terras; abſque illis non philoſophiam, non leges atque urbes, non humanum genus ſtare diu poſſe. In fluviis etiam connubia eſſe; quomodo Alpheus,

Alpheus, Elidis amnis, occultis ſub mari viis in ſinum Arethuſæ ſuæ, Siculi fontis, influit, eique permiſcetur. Volatilia, quoque huic legi ſubjici à Venere: item feras efferas, ut leones, ac pardales. Quin neque arbores ipſas conjugii eſſe experres ut diligentiſſimi naturæ indagatores obſervarunt.

* Plinius ib. 13. cap. 3. & alibi.

17. Sect. *Tertia pars ſponſum & ſponſam extollit.*

Ubi genus arborum conferemus, non ut alterius imminuamus, ſed ut ſimili ſimilem jungi conſtet. Etiam amborum virtutem comparabimus, ut ſi ille à Mercuriali, aut Martio ſtudio; hæc à Palladis, aut gratiarum operibus commendetur. A forma etiam laudabimus: ac illum roſæ, hanc malo pulcherrimo; illum olivæ, hanc palmæ ſimilem eſſe dicemus.

18. Sect. *Pars quarta laudat eos qui nuptias convenere: item thalamum, etiam domum atque urbem, ubi nuptiæ fiunt: ac denique voto orationem claudit.*

Dicemus autem quam multi, quam præſtantes, hoc feſtum celebrent, quam pulchre thalamus picturis & floribus ſit ornatus: videri hic quaſi domicilium Veneris, atque amorum, & Gratiarum. Hymenæum etiam, quales à veteribus deſcribebatur, orationis penicillo depingere ſolent, atque eum lampada nuptialem geſtare fingebant. Similiter alia nuptiarum numina commemorabant. Quæ inter fere poſtrema Lucina. Hanc aiebant intra decem menſes

menses obstetricis functuram operâ, & suscepturam pueros, qui parentes ore exprimant, & virtute iis futuri sint simillimi. Ea occasione commodè se ad preces convertebat sermo. Atq; hæc de oratione nuptiali.

19 Sect. *Huic genere vicinum est illud quod* Epithalamium *dicitur, Estq; oratio, quæ ad thalamum habetur.*

Differt à nuptiali, quod perfectis nuptiis Hymenæi loco recitetur. Ab Hymenæo loco recitetur. Ab Hymenæo vero distinguitur, quod hîc ligata esset oratio; epithalamium, prosa. Quanquam & Latini carmine epithalamium cecinere; ut Statius Pampinius: sed aliter Græci solent.

20 Sect. *In hoc inde initium fiebat, quòd pro tibia, vel barbito, orationem habituri essent in honorem eorum qui thoro sociarentur.*

21 Sect. *Hinc ea sequi solent, quæ de nuptiali diximus.*

Ut sunt conjugii necessitas, laus sponsi & sponsæ; quò & pertinet similitudo generis, ætatis, & aliorum.

22 Sect. *Postea cohortabimur ad mutuum amorem: atq; addemus, quantum ea res gaudii allatura sit amicis: quantum doloris, inimicis.*

Pulcherrimè hanc rem expressit poeta Odyss, z.*

* Non enim eo quicquam præstantius, aut melius. Quam cum animis concordibus demum administrant Vir ac mulier. Multi dolores sunt malevolis: Gaudia autem benevolis.

—'Ουμὴν

—Ὀυ μὴν γὰρ τῶ γε κρεῖσσον καὶ ἄρειον,
Ἠόθ' ὁμφρονέοντε νοήμασιν οἶκον ἔχητον
Ἀνὴρ ἠδὴ γυνὴ. πολλ' ἀλγεα δυσμένεεσσι.
Χάματα δ' ἐυμενέτησι.

23 Sect. *Orationem clausuri optabimus sponsis, ut dulcia tori pignora cito conspiciant, diúq; fœlicem degant vitam: imo & annis volventibus videant diem, quo & ipsi intersint liberorum suorum nuptiis, & nos fortasse illis hymenaum cantemus.*

Cum his, quæ de epithalamio diximus, conferre juvabit, quæ de eodem argumento scribit Scaliger lib. III. de re poet. cap. CI. Quanquam enim poetæ, & oratoris conceptus, non parum differant, ut optimè monet Dionysius: * tamen nec pauciora sunt, in quibus conveniant.

* Præceptis de epithalam.

CAP. XVIII.

De Oratione Natalitia, ac Funebri.

Nuptiarum finis sunt liberi. Itaque post orationem nuptialem, & epithalamium, ordo requirit, ut de natalitia dicamus.

1. Sect. *Natalitia est oratio quæ habetur in alicujus natalem.*

Græcis λόγος γενεθλικὸς.

2. Sect.

2 Sect. *Eſtque duplex. Nam vel ſit, cum quis prole recens auctus eſt: vel in ejus natalem, qui ætate jam eſt provectior.*

3. Sect. *In utroque genere primum dici ſolet de tempore nativitatis, ubi conſiderantur annus, menſis, dies, hora.*

Vt ſi quis natus eſſet Calendis, dicebatur principium menſis vivendi principium dediſſe, inque omnibus bonis principium eſſe optimum, imo eſſe dimidium totius: atque adeo plus toto. Si eſſet dies ſextus, ſeptimuſve, affirmabant dies iſtos eſſe ſacros eoque hujuſmodi nativitatem ſignificare communionem quandam cum Diis. Si dies eſſet nonus, quia is Soli ſacer erat, colligebatur, aliquem Solis inſtar illuſtrem & beneficum fore. Si eſſet decimus quartus, aiebat hunc eſſe Minervæ dicatum: & quia tunc plenilunium ſit, augurabantur, nihil ei defore. Etiam ſpectabant anni horam: uti ut tempus eſſet hybernum, quod omnium fortiſſimum; an vernum, quod amœniſſimum; an æſtivum, quod fructibus commendatur; an auctumnale, quod in regionibus calidis quiete eſt gratiſſimum. Similiter ſi Dionyſia fuiſſent, aut Eleuſinia, vel aliud feſtum, hæc res dicendi præbebat argumentum.

4 Sect. *Hinc videndum de loco; ubi ſpectatur natio ac civitas.*

Natio quidem, ut, num quis Græcus ſit, an Barbarus; Italuſne, an Pœnus. Atque hic minime illud prætereundum, ſi ea genus vel ſapientia,

ſapientia, vel fortitudine, vel re alia celebretur. In urbe item conſiderandum, num ea metropolis ſit, aut proximæ ſaltem dignitatis; item num ampla ſit, & florens num ingeniis fœcunda, & ecquid ſtrenue gefſerit.

5 Sect. *Poſt illa in pueri natali duo capita tractabimuss quæ in hoc argumento præcipua ſunt. Prius eſt virtus parentum, & majorum. Alterum vero ſpes, quam de puero concipimus ex genere facile futuraque educatione. In adulto autem commemorantur omnia iſta, à quibus perſona poteſt laudari.*

Vt ſunt virtutes, honores, aliaque; de quibus in genere demonſtrativo ſatis diximus.

6. Sect. *Poſtremo, Deum precabimur, ut puero annos multos largiatur; faciatque ut ſuis, & patriæ, aliquando ornamento eſſe poſſit. Similiter in adultis optabimus, ut ſæpe hunc natalem celebrare contingit; utque lætior lætiorque ſemper revertatur.*

De Genethlaica quædam etiam Menander habet. Exemplo autem fuerit Genethliaca Ariſtidis in Apellam. Quod ſi in argumenti hujus tractatione admiſcere aliqua viſum eſt de ſacrariis Philologiæ: multum ea parte juvabit Jul. Scaliger I. III. de re Poet. c. CII. Inter ea, quæ attingit, ſunt honores, qui die natali Genio fiebant. Nam *pulte fritilla conficiebant ſacra natalium*: ut eſt apud Plinium lib. XVIII. cap. VIII. Lacte etiam Genio libabant, teſte Probo in III. Georg.

Etiam

Etiam —*Piabant.*

Floribus, & vino, Genium memorem brevis ævi: ut ait horatius lib. 11. epiſt. 1. At hoſtes ab ſtinebant. Unde Varro apud Cenſorium cap. 11. *Id morè, inſtitutique majores noſtri tenuerunt, ut, cum die natali munus annale Genio ſolverent manum à cæde ac ſanguine abſtinerent, ne die, quâ lucem accipiſſent, aliis demerent.*

A natalitiâ accedamus nunc ad funebrem: quando, ut illa fit homine nato, ita hæc denato,

7 Sect. Oratio Funebris *propriè dicitur, quæ in funere habetur. Sed latiùs ea vox extenditur, cùm etiam anniverſariæ eſſe poſſint.*

Ut quas ad Mauſoli ſepulchrum quotannis recitari juſſit Artemiſia. Item quæ Athenis habebantur in laudem eorum qui in bello pro patria cecidiſſent: qualis illa Periclis apud Thucydidem, item tres Ariſtidis.

8 Sect. *Anniverſariæ atque omnes, quæ multo poſt obitum haberentur, vix aliud erant, quàm encomium.*

Ut Illa Iſocratis in Evagoræ laudem.

9 Sect. *Hoc loco potiſſimùm de oratione agemus, quæ dolorem habet recentem. Triplex ſpectamus tempus, præſens, præteritum, futurum. Præſens quidem, ut ſi ordiamur à ſignis doloris præſentis.*

Velut

Velut, quod convenerimus ad triſtes exſequias. Item ſi deſcribas faciem defuncti miſerabilem, genas pallentes, cincinnos jacentes, linguam contractam, oculos contortos. Sed hæc vix aliis, quàm matrum, vel amatorum planctibus, videntur convenire.

10 Sect. *Hinc exponimus, qualis quantúſq; fuerit, quem amiſimus; quæ ad præteritum tempus pertinent.*

Ut quàm facilis ac comis fuerit, quàm hilaris inter adoleſcentes, quàm gravis inter ſenes, & ſimilia.

11. Sect. *A futurum refertur, quòd magnam ſui ſpem excitârat, quâ nunc ſimus orbati.*

Ut quæ beneficia in nos fuerit collaturus, ſi diutiùs fuiſſet ſuperſtes, quàm præclarè item meriturus de patriâ. Vide apud Cicer. lib. 3. de Orat. perelegantem & brevem orationem in mortem Craſſi, ubi hæc inter alia; *O fallacem hominum ſpem, fragilémq; fortunam & inanes noſtras contentiones; quæ in medio ſpatio ſæpe franguntur, & corruunt, & ante in ipſo curſu obruuntur, quàm portum conſpicerunt.*

22. Sect. *Eſt vero cum magis præterito inſiſtimus, quàm; futuro: item cùm contra fit. Prius locum habet, ſi quis geſſerit honores publicos, præclarè meritus ſit de multis, Poſterius fit ſi cujus meſſis adhuc in herba fuerit.*

13 Sect.

13 Sect. *Et iſtis quibus partibus conſtabit oratio, ſi viſum erit paucis defungi. At ſi juſtum inſtituere orationem velimus, hunc potiùs inſiſtemus viam. Auſpicabimur à quærimonia, vel exclamatione, aut interrogatione.*

Ut ſi dubitare nos fingamus, num ſilere velimus, an eloqui Illud enim dolorem jubere, hoc dictare officium.

14 Sect. *Quod ſi maritus lugeat obitum uxoris commodè ordietur à mutis animantibus; quæ ut ipſæ, conjuge amiſſâ, dolorem ſuum teſtantur.*

Ut quòd cygnus, compare ereptâ, alas ad zephyrum extendat, ſortémque ſuum deploret; quod hirundo querulo cantu triſtitiam ſuam ſignificet; quòd bos, & equus non ſine dolore abſtrahuntur ab eâ, quicum ſueverint.

15. Sect. *Hinc ſequitur laus defuncti. Quæ unde petatur, dictum eſt in genere demonſtrativo.*

Vide & quæ de eo tradit Menander lib. II. cap. IX. quod de funebri oratione inſcribitur.

16. Sect. *Inprimis autem ſpectatur hîc genus mortis; ut ſi quis occubuerit pro patria pugnans.*

Hoc mortis genus eleganter laudet Cicero Phillip. XIV. " Maximè, *inquit*, proprium " ſenatus ſapientis eſt, gratiâ eorum virtutem " memoriâ proſequi, qui pro patria vitam pro- " fudeṛunt. *Et mox*; O fortunata mors,, quæ " natura

" naturæ debita, pro patria eſt potiſſimùm red-
" dita. Vos vero patriæ natos judico: quorum
" etiam nomen à Marte * eſt: ut idem Deus
" urbem hanc gentibus, vos huic urbi genuiſſe
" videatur. In fuga fœda mors eſt: in victoria
" glorioſa. Etenim Mars ipſe ex acie fortiſſi-
" mum quémque pignerari ſoler.

* Milites Martiæ legionis alloquitur.

17 Sect. *Poſt laudationem dicimus, quantum damnum morte alicujus fecerit Reſpublica, dolorémq; exinde excitamus.*

Sanè ex boni amiſſi prædicatione oritur deſiderium ejus cò q; omnino poſt laudationem proximum eſt, ut jacturam, quam facimus, demonſtremus. Ex cognitione autem jacturæ provenit luctus: ut omnino hinc locus debeatur querimoniæ, & lamentis.

18 Sect. *Interdum tamen non ſeorſum inſtituitur laudatio, ſeorſum vero dolorem ciemus: ſed ſingulis laudationis locis querimonia admiſcetur.*

Nempe, ut ſingulæ encomii partes ſint materies luctus.

19 Sect. *Lamentationi ſive luctui ſubjicitur conſolatio, Vel, ſi lamentis non fuerit opus, ut ſi quis pro patria ceciderit, ea proximè laudationem ſequetur.*

Obſervat hoc Cicero Philipp. XIII. ubi continuò poſt illa, quæ paulò antè citavimus: ita eos compellat, qui ceciderant bello ad Mutinam geſto: *Illi impii quos occidiſtis, etiam ad inferos*

" inferos pœnas parricidii luent ; vos vero, qui
" extremum ſpiritum in victoria effudiſtis, pi-
" orum eſtis ſedem & locum conſecuti. Brevis
" autem vobis vita data eſt ; at memoria bene
" reditæ vitæ ſempiterna: quæ ſi non eſſet lon-
" gior, quam hæc vita, quis eſſet tam amens,qui
" maximis laboribus & periculis ad ſummam
" laudem gloriamque contenderet ? Actum igi-
" tur præclare vobiſcum,fortiſſimi, dum vixi-
" ſtis, nunc vero etiam ſanctiſſimi milites, quod
"veſtra virtus,nec oblivione eorũqui nunc ſunt,
"nec reticentia poſterorum inſepulta eſſe poſſe
" poterit cum vobis immortale monumentum
" ſuis pene manibus ſenatus,populuſque Roma-
" nus extruxerit. *Et poſt pauca* ; Sed quoniam
" patres conſcripti,gloriæ munus optimis & for-
" tiſſimis civibus monumenti honore perſolvi-
" tur, conſolemur eorum proximos quibus op-
" tima eſt hæc quidem conſolatio parentibus,
" quod tanta Reip. præſidia genuerunt : liberis
" quod habent domeſtica exempla virtutis;con-
" jugibus, quod iis viris carebant, quos laudare,
" quam lugere præſtabit ; fratribus, quod in ſe,
" ut corporum,ſive virtutum ſimilitudinem eſſe
" confident, Atque utinam his omnibus abſter-
" gere fletum ſententiis noſtris,conſultiſq; poſ-
" ſemus ; vel aliqua talis his adhiberi publice
" poſſet oratio, quâ deponerent mœrorem,atq;
" luctum;gauderentque potius cum multa & va-
" ria impenderent hominibus genera mortis, id
" genus, quod eſt pulcherrimum, ſuis obtigiſſe ;
" eoſq; nec inhumatos eſſe, nec deſertos (quod
" tamen ipſum pro patria non miſerandum pu-
" tatur) nec diſperſis buſtis humili ſepultura
" crematos, ſed contectos publicis operibus at-
" que

" que muneribus, eaq; extructione, quæsit ad " memoriam æternitatis ara virtutis. Quamo- " brem maximum quidem solatium erit pro- " pinquorum, eodem monumento declarari, & " virtutem suorum, & pietatem, senatus fidem, " & crudelissimi memoriam belli: in quo, nisi " tanta militum virtus extitisset, parricidio M. " Antonii nomen populi Roman. occidisset. Hactenus cœlesti illo ore M. Tullius. Et quanto tamen fortius solatium habent Christiani! qui sciunt, se non aliter, quam moriendo felicitatis æternæ fieri compotes. Sed discrimen hoc fusius persequi, non est hujus loci. Porro etiam solatii genus est, si dicas, posse damnum defuncti resarciri morte successoris. Pluraque eodem pertinentia dicemus infra; ubi spectabimus consolationem, non ut orationis funebris pars est; sed qua constituit orationem justam.

20 Sect. *Imo est, ubi consolatio etiam fuerit importuna. Vt si longinquitas temporis dolorem jam omnem absterserit.*

Hoc in anniversaria fere contingebat; ubi laudabantur sæpe, qui ante annos multos essent defuncti. Hic si quis solatio opus esse putet, is quoque Illienses soletur, quod olim fortissimum civem, Hectorem, amiserint. Sin tantum sex septemve menses sint, ex quo obiit aliquis: & is, ad quem dicimus, mortuo fuerit conjunctissimus, ut filius sit, vel conjux; quia luctum in talibus durare verisimile est, etiam querimonia tunc, & consolatio habebit locum.

21 Sect. *Consolationi subjicitur non raro adhortatio, quæ incitet præsentes, ut animo retinere perpetuo velint virtutem defuncti eamque sibi*

ſibi ad imitandum proponant.

Vidi hoc in genere præter ea, quæ antea commèmoravi, etiam Lyſiæ orationem in laudem cæſorum eo bello, quo Athenienſes opem tulere Corinthiis : item Menexeum Platonis, Demoſthenis orat ; in illorum laudem, qui prælio ad Chæroneam ceciderant, & Dionis Chryſoſtomi in Melancomam.

Atque hæc ſufficiant de orationibus ſecundæ claſſis.

CAP. XIX.

De Gratiarum actione, oratione gratulatoria, & lamentatoria.

1 *Sect. Tertia orationum claſſis, quæ referantur ad genus demonſtrativum, occaſionem ſumit ex bono, quo quis auctus ; vel malo, quo ſit adfectus. Hujuſmodi ſunt gratiarum actio, gratulatoria, & lamentatoria.*

2 *Sect.* Gratiarum actio *vel recta eſt, vel obliqua.*

3 *Sect. Recta eſt, quâ apertè, & ſine circuitione aliquâ gratias agimus.*

4 *Sect. Hujus partes ſunt tres. Primâ ſignificamus lætitiam ex beneficio accepto obortam.*

5 *Sect. Altera exaggeramus beneficium illud, ut magnitudinem ejus intelligere videamur. Eſt enim præcipua grati animi virtus & ſcire quantum debeas, & debere libenter.*

Quo pacto autem beneficium amplificetur, oſtendimus ſuperius, cum de gratiæ affectu ageremus.

6 Sect. *Tertia pars animum gratum pollicetur. Quod bifariam fit. Nam vel dicimus nos parem, aut etiam majorem, gratiam relaturos: vel, si id vires superat nostras, saltem animum spondemus, gratum ac memorem, Deumque rogamus, ut, cum nos ob virium tenuitatem id minimè possimus, ipse condignas gratias rependat.*

7 Sect. *His interdum accidit commendatio nova, quâ petimus, ut is, qui nos beneficio hoc affecit, porrò etiam amore suo complecti velit. Item votum quo pro salute illius Deum rogamus.*

Exemplo in hoc genere sunto duæ orationes Ciceronis: una post reditum ad Quirites: altera post reditum in Senatu. Priori tria præstat.

I. Extollit beneficium populi Rom. quòd si restituissent: atq; id confert cum beneficio parentum, nec non Deorum immortalium: item cum reditu Pompilii, Q. Metelli. & C. Marii.

II. Amicorum prædicat operam, qui in se revocando laborassent.

III. Pollicetur se beneficii hujus memoriam benevolentiâ colere velle sempiternâ, omniáque sua compositurum ad Reip. utilitatem.

Posteriori hæc similiter facit.

I. Gratias agit pro beneficio, atque id vehementer effert.

II. Invehitur in eos, quorum invidiâ fuerat ejectus.

III. Amicorum beneficium prædicat.

IV. Studium

IV. Studium ſuum erga remp. promittit.

Exemplo itidem fuerit oratio Ciceronis, qua Cæſari gratias agit pro reſtituto Marcello. Illuſtris quoq; eſt illa Æneæ ad Didonem †.

† Æn. lib. I

O ſola infandos Troiæ miſerata labores,
Quæ nos reliquias Danaum, terræq; mariſque,
Omnibus exhauſtos jam caſibus, omnium egenos.
Vrbe, domo ſocias. Grates perſolvere dignas
Non opis eſt noſtræ, Dido, nec quicquid ubique eſt
Gentis Dardaniæ, magnum quæ ſparſa per orbem.
Dii tibi, ſi qua pios reſpectant numina, ſi quid
Vſquam juſtitiæ eſt, & mens ſibi conſcia recti,
Præmia digna ferant, quæ te tam læta tulerunt
Secula? qui tanti talem genuere parentes?
In freta dum fluvii current, dum montibus umbræ
Luſtrabunt convexa, polus dum ſydera paſcet;
Semper honor, nomenq; tuum, laudeſq; manebunt;
Quæ me cunque vocant terræ. ———

Hæc de gratiarum actione recta.

8 Sect. *Oblique vero gratias agimus, cum dicimus, non acturos nos gratias, & ea interim proferimus, quibus gratum abunde animum teſtemur.*

Velut ſi tantum eſſe beneficium profiteantur, ut ſatius videatur, illud tacitum animo æſtimare, quam proletario more gratias verbis agere. Vel ſi dicatur, arctum adeo neceſſitudinis vinculum eſſe, ut illo gratiarum agendarum more liceat ſuperſedere.

9 Sect. Gratulatoria *oratione vel alteri gratu-*

lamnr, vel nobis ipsis. Agemus proprie de priori, quia majoris est usus, & ex ea alterius tractandæ ratio satis cognoscitur.

Græcos συγχαιρικὴ vocatur.

10 Sect. Partes gratulatoriæ sunt tres. Prima significamus, quantam ceperimus voluptatem ex prospero alterius successu. Nec nostrum tantum, sed sæpe aliorum etiam gaudium testamur. interdum & causam hanc adtexim⁹, quod res amici esse nostras ducamus. Ac facilius id fidem invenit, si is sanguine, affinitate; vel aliter, nobis junctus sit.

11. Sect Parte altera, ut justam tantæ fuisse lætitiæ causam intelligatur, ostendimus magnitudinē boni, quo auctus est. Ut quod non casu, non presentatione, aut largitione honorem istū adeptus sit; sed virtute, & meritis præclaris; quod honos sit tantus, ut eo nomen suum ab oblivione possit vindicare: quodq; multis expetitus obtigerit paucis.

12 Sect. Tertia pars continet votum, ut Deus hoc bonum esse perpetuum velit: item ut honos iste sit ipsi, & Reip. imprimis salutaris. Quandoq; etiam adhortatio talis habet locum ut quis jam non cum aliis, sed secum certare velit, quo per honoris hunc gradum ad majores possit ascendere.

Exemplo in hoc genere fuerint, cum orationum aliæ multæ, tum Aristidis παλινῳδία, quæ est de Smyrnâ instauratâ. Atque item in πρεσβευτικῷ Σμυρναικῷ, quæ oratio habita est coram Imp. Commodo Smyrnam ingresso recens

recens inſtauratam. Item illa Themiſtii, qua Conſtantio Imp. quamquam abſenti, gratulatus fuit ob res feliciter geſtas. Incipit ea, Ἀγῶνες. Par ratio eſt epiſtolarum. Nam gratulatoriæ ſunt Iſocratis quinta, & ſeptima; quarum illa ad Philippum Regem: hæc ad Timotheum. Apud Tullium quoque ingens talium copia eſt: imo ſuperſunt etiam aliorum quædam ad Tullium; uti illa Trebonii *, qua Tullio de indole filii gratulatur.

* Lib. 15. Epiſt. 16.

13. Sect. *Eſt & obliqua gratulandi ratio ut cum dicimus, non tam amico gratulari nos velle, quod honore illo affectus ſit; quam Urbi, quod ejuſmodi acceperit ſenatorem, vel conſulem.*

Nam ad Remp. quidem multum inde emolumenti acceſſurum: ad amicum vero non minus oneris, quam honoris: juxta illud vetus, †

† Apud Varronem lib. 4. de L. L.

Onus eſt honos, qui ſuſtinet Rempublicam.

14. Sect. Lamentatoria *minus artis eget, cum dolori quemvis redere ſoleat diſertum.*

15 Sect. *Duabus autem partibus ſolet abſolvi. Primum ſignificans, in quod malum incideri-mus, & magnitudinem ejus exaggeramus. Deinde, ſi malevoli eo nos mactarint infortunio, odium excitamus eorum, qui nos perdiderunt.*

16 Sect. *Interdum etiam aliis injicitur metus, quaſi & ipſis poſſit contingere, quod nos paſſi ſumus.*

Vide in hoc genere Ariſtidis orationem

Eleusiniam, qua ob templum Cereris incensum lamentatur. Item μονῳδίαν ἐπὶ Σμύρνην, qua nobilem adeo urbem terræ motu obrutam deflet. Item Synesium in Catastasi, ut ubi Pentopolitanam describit calamitatem. Item Anonimi μονῳδίαν †, qua deplorat Constantinum juniorem Constantini Magni filium, insidiis fratris sui Constantis interemptum.

* Græcè Latinèque primus edidit eam Fredericus Morellus.

CAP. XX.

De Oratione, qua discedentes, vel domum redeuntes utimur, vel alium discedentem prosequimur.

1 Sect. *Quartæ orationum classi occasionem præbet alicujus abitus, vel adventus. Hujusmodi sunt* λόγος ἀποβατήριος, ἐπιβατήριος, καὶ προπεμπτικὸς.

2 Sect. Ἀποβατήριος *dicitur, quo utimur discedentes è patria vel urbe alia, ubi diu, commodèque viximus.*

Alias ἐπιτακτικὸς vocatur; cujus nominis causam ignorare se fatetur Jul. Scal. lib. III. de re poet. cap. CV.

3 Sect. *In hoc genere primum testabimur dolorem nostrum, quod ab urbe, & amicis divellamur. Ac temperantius quidem id faciemus, si discedamus studiorum causa, postea reversuri. Vel si patriæ causa legatio obeunda sit in terris longinquis. Sin solum vertere cogamur, tantopere misericordiam ciebimus, ut videamur*

mur lapides ipſos poſſe commovere.

4 Sect. *Hinc laudabimus populi, unde abimus, fidem, clementiam, pietatem. Item urbis ſitum ſalubrem, atq; amœnum. Quibus & ſacra ejus feſta addi ſolent.*

Ut ſi ex Attica diſcedamus, hoc, vel ſimili modo dicere jubet Menander : *Quis poſſit ſine lachrymis relinquere Eleuſinia ſacra? quis Dionyſia ? quis arcem Athenienſium pulcherrimam ; aut tot viros ſapientiâ, & virtute præcellentes ?* Ac paritèr omnia accommodabimus, quæ in civitate poſſint allicere.

5 Sect. *Præterea beneficiorum, quæ iſtic accepimus, ſemper nos memores fore dicemus.*

6 Sect. *Deniq; ſi nobis ſint uxor, liberi, adfines, eos commendabimus : beneq; iis ominabimur, & precabimur, à quibus diſcedimus.*

Exemplo in hoc genere eſt declamatio edita ſub nomine Ciceronis ad Quirites, priuſquam iret in exilium.

7 Sect. ΕΠΙΒΑΤΗΡΙΟΣ λόγος *habetur, cùm quis, poſt diutinam peregrinationem, poſtliminiò domum redit.*

8 Sect. *In hujuſmodi oratione primùm lares patrios ſalutabant : Diiſq; gratias agebant, quod ſalvos reduxiſſent.*

Uti Neptuno, & diis marinis, ſi mari redirent : vel, ſi terrâ. Mercurio Evonio, aut Hegemonio, & aliis.

9 Sect. " Hinc exponebant, quantum abſentes
" tenuiſſet deſiderium Urbis. Eaque occaſi-
" one accedebant ad laudationem ejus. Hæc
" petitur à conditore, fertilitate, ſalubritate,
" atque aliis, quæ ſuperiori libro expoſita
" ſunt nobis.

Iſtis, ſi voles, adde quæ præclarè hac de re notavit *Scaliger.* li. III. de re poet. cap. CVI.

10 Sect. " Denique bene Urbi precabantur, ac
" totos ſe ei devovebant.

Non pauca, quæ ejuſmodi orationi aptari poſſint legas apud Ciceronem oratione eâ, quam in ſenatu habuit, cum ab exilio rediret.

11 Sect. " ΛΟΓΟΣ ΠΡΟΠΕΜΤΙΚΟΣ, eſt quo alios proſequimur, quando diſcedunt à nobis.

12 *Sect.* " In hac incipere ſolent à querimonia,
" vel indignatione in fortunam, quòd nihil
" tale promeritum divellat ab amico. Vel
" etiam increpabant amicum, quòd deſerere
" eum ſuſtineat, à quo non minùs ametur,
" quam Theſeo Hercules, Euryalus Niſo di-
" lectus fuit. Ac acerbus ille caſus eò exag-
" gerandus eſt, quòd armenta etiam, & volu-
" cres graviter molèſteq; ferant, ſi à mutua
" conſuetudine abſtrahantur.

13 Sect. " Hinc in memoriam revocabimus pa-
" læſtram, & exercitia alia, quæ hactenus
" communia habuimus. Quæremus, an retine-
" re eum non poſſint, myſteria, Academia, in-
" ſigne opus arcis *, & tot alia Urbis bona?

14 *Sect.* " Poſthæc introgabimus, ubi nunc illa
" ſint

* Ita exemplo Græcorum rhetorum loquimur, quaſi Athenis viveremus. Sed talia pro ēporibus, c locis variare, aperius eſt, quam ut nonere ſit pus.

" sint promissa, quod alter alterum unquam
" esset deserturus? Conferemus priorem feli-
" citatem cum miseria præsenti. Antea nos a-
" mico fuisse munitos, tanquam forti aliquo
" præsidio: nunc eo haud aliter spoliari; quam
" si Aiaci in bello clypeus subduceretur. quare
" nihil supereſſe aliud, quam ut, Timonis ali-
" cujus instar, deserta posthac loca incolamus.
" Nec enim ex re videri, ut nova cum quoq.
" amicitia ineatur, cum eadem & illam mane-
" re possit fortuna; nec semel navem fi an-
" genti iterum mare esse tentandum.

15. §. " Haud semper tamen gravis adeo queri-
" monia, vel accusatio, locum habet. Non sane
" si legatus cum imperio, vel exercitu, alio mit-
" tatur. Vbi potius gratulandum illi. Laudabi-
" mus quoque eum à genere, virtute, fortuna.
" Neque ipsum duntaxat extollemus; sed
" etiam collegas, socios, comites: quorum ho-
" nos dignitatem legati auget, atq; illustrat.

16. Sect. Neque in ejusmodi solum argumento,
" sed in omni προπεμπτικῷ, laudatio desce-
" dentis adhibetur.

17. Sect. Hinc orandus is ut absens etiam, no-
" stri semper memor esse velit.

18 Sect. Multum autem ornatus accedet oratio-
" ni, si locum, quo iter instituitur, celebres
" paucis. Imprimis vero si per quas Vrbes
" eundum, per quæ loca navig ndum referas,
" & eorum simul præstantiam atque amœni-
" tatem delibes.

19 Sect. Atq; ubi oratione hac quasi ad portum
" deduxerimus, ad preces convertemur, op-
" timaque ei omnia à Deo optabimus.

Horatius προπεμπτικὸν suum, quod Vergi-

lio Athenas proficiscente scripsit, ab ejusmodi voto orditur:

Sic te Diva potens Cypri,
Sic fratres Helenæ, lucida sydera,
Ventorumque regat pater,
Obstrictis aliis præter Iapyga,
Navis, quæ tibi creditum
Debes Virgilium: finibus Atticis
Reddas incolumem precor,
Et serves animæ dimidium meæ.

Postea autem detestatur poeta eorum audaciam, qui primi se commiserunt mari. Et hæc, similisve ratio, ut commoda est, si paucorum versiculorum res sit: ita ut injustam orationem argumentum excrescat, plus juvabunt ea quæ ex Menandro sumus mutuati. Vide & Cæsarem Scaligerum lib. III. de re poet. cap. CIV.

CAP. XXI.

De Monitione, & Commendatione.

2. Sect. *Excussimus arculas argumentorum, quæ inserviunt quatuor classibus orationum ad demonstrativum genus pertinentium. Nunc agamus de iis, quæ referuntur ad genus deliberativum.*

Quas ipsas similiter ad quatuor classes revocabimus. Prima est earum, ubi dominantur affectus iræ, odii, vel amoris. Hujusmodi

di ſunt, monitio, commendatio, concitatio, & conciliatio.

2 Sect. Monitio *præcipuè artis eget, cùm vitia quidem caſtigare; at offenſam tamen effugere ſtudemus. Id verò hujuſmodi artificio conſequemur.*

3 Sect. *Laudabimus primùm ejus, qui monendus eſt nobis, præclaras animi dotes; & ſignificabimus, quanti eum propterea æſtimemus, ac diligamus.*

4 Sect. *Hinc dicemus, ut nihil undiq; perfectum invenitur, ita laudes iſtas non levitur labe aliquâ depretiari.*

Ut quòd in ſuos ſit durior, vel quod ſuorum avaritiam non compeſcat, vel quòd novis amicis nimis fidat, vel quòd plus æquo ſit liberalis, vel alio quopiam. Nam innumera ſunt quibus peccari ſolet.

5 Sect. *Quod ſi ne hæc quidem ratio ſatis tuta videbitur; poterimus dicere, aliorum id judicium eſſe qui cætera eum magni faciant.*

6 Sect. *Subjiciemus, alio in nos, ſive hoc noſtrum, ſive alienum judicium, planè diſſimulaturos fuiſſe. Sed minimè potuiſſe pati, ut quiſpiam tam laudatus, & quem tantopere amemus, in partem duntaxat laudibus ornetur.*

7 Sect. *Poterimus quoq; aliquid delibare è loco communi officio veri amici.*

Uti enim medicus ſanat corporis morbos; ita ſinceri eſt amici, corrigere animi vitia, non ſupparaſitando ea laudare. Vide Plutarchi librum de diſcernendo adulatore ab amico.

1. Sect.

8 Sect. *Etiam affirmabimus, sperare nos, pari eum erga nos libertate usurum nisi minùs fortasse amemur.*

9 Sect. *Interim conjiciemus vitii culpam in ætatem, vel gentem, vel convictum hominum minus idoneorum. Eodem laborasse dicemus viros aliquos magni nominis. Sed parvo negotio correcturum. Nam ubi solùm peccatur excessu virtutis, facilè aliquid posse ad mediocritatem revocari.*

10. Sect. *Addemus argumenta ab honesto, utili, glorioso : quibus vitii odium, contrariæ virtutis amorem gignamus. Hortabimur, ut quàm maximè se extiret ad omnis præstantis viri laudes implendas.*

Monitionis, sed quæ principem virum decerat, insigne apud Livium * exemplum præbet Scipionis oratio ad Masanissam : cum hic reginam Sophonisbam Syphacis uxorem, Asdrubalis Pœni filiam eodem quo captam vidisset die, matrimonio sibi junxisset. Quia brevis est opponam. " Aliqua te existimo, Masanissa, in-
" tuentem in me bona, & principio in Hispani-
" am ad augendam mecum amicitiam venisse, &
" postea in Africa teipsum spésq; omnes tuas in
" fidem meam commisisse, atqui nulla earum
" virtus est, propter quam appetendus tibi sim,
" quâ ego æque atque temperantiâ, & conti-
" nentiâ libidinum, gloriatus fuerim. Hanc ego
" te quoque ad cæteras tuas eximias virtutes,
" Masanissa, adjecisse velim nam non est (mihi
" crede) tantum ab hostibus armatis ærati no-
" stræ periculi, quantum ab circumfusis undiq;
" voluptatibus : qui cas suâ temperantiâ frena-
" vit,

* Lib. 30

" vit, ac domuit, nullo majus decus, majorèmq;
" victoriam, sibi perperit, quàm nos Syphace
" victo habemus. Quæ, me absente, strenue ac
" fortiter fecisti, libenter & commemoravi, &
" memini : cætera teipsum reputari tecum,
" quàm, me dicente, erubescere malo. Syphax
" populi Romani auspiciis victus captúsq; est :
" itâque ipse, conjux, regnum, ager, oppida,
" homines qui incolunt, quicquid deniq; Sy-
" phacis fuit, præda populi Romani est : & re-
" gem, conjugémq; ejus etiamsi non civis Car-
" thaginensis esset, etiamsi non partem ejus im-
" peratorem hostium videremus. Romam opor-
" teret mitti : ac senatus populíq; Romani de
" eâ judicium, atq; arbitrium esse quæ regem
" nobis socium alienasse, atq; in arma coegisse
" precipitem ; dicatur. Vince animum, cave
" deformes multa bona uno vitio, & tot meri-
" torum gratiam majore culpá, quam causa cul-
" pæ est, corrumpas. Adde & epistolam secun-
dam Isocratis ad Philippum regem, quâ eum
monet, ne porrò temere adeo in bello maximis
se periculis exponat. Initium epistolæ est : Οἶ-
δα * μὲν ὅτι πάντες ἐιώθασι πλείω χάριν
ἔχειν τοῖς ἐπεινοῦσιν, ἢ τοῖς συμβουλεύσι, ἄλ-
λως τε κἂν μὴ κελευθὲς τὶς ἐπιχειρῇ τοῦτο
ποιεῖν.

11 Sect. *Sequitur* commendatio, *cujus hæc potissimùm capita sunt. Primum causas commendationis exponimus.*

Ut quod bene quis nobis sit meritur, aut nostris, item, quòd cum illo, vel parente ejus, aut majoribus, aut proprinquis, vel sanguine, vel affinitate, vel amicitia simus conjuncti item quòd ejusdem simus patriæ, eorundem studiorum, & quæ similia sunt,

* Novi equidem, plus gratiæ haberi solere laudatoribus, quam monitoribus; præsertim si nullo jubente, monere sint aggressi.

12 Sect.

12. Sect. *Subjicitur ejus, quem commendamus, laudatio à probitate, fide, humanitate, eruditione, genere, aliis. Sed modus tamen hic tenendus est, ut ne ex amore hoc judicium; sed judicium ex amore profectus videatur.*

Lib. 1. pist. ad ollium. 13. Sect. *Dicere etiam possumus, scire nos Horatianum illud.* *

(ne mox
Qualem commendes etiam atq; etiam adspice,
Incutiant alîena tibi peccata pudorem.

"Sed hujus integritatem, ac præclaras animi "dotes, adeò nobis esse perspectas, ut nihil di- "vini, vel humani, credi nobis posthac veli- "mus, si eâ parte fallamus.

14 Sect. *Multùm etiam proderit, si, quem laudamus, dicatur honestè præclareq; de eo, cui commendatur, sentire & loqui apud omnes solere.*

15 Sect. *Addemus, si complecti hominem velit & honori eam rem fore, & multùm inde utilitatis percepturum: nec unum hominem, sed simul alios multos sibi posse devincere.*

16 Sect. *Denìq; vehementer orabimus, atq; obtestabimur. Vel dicemus, nos pluribus nolle contendere, ne de humanitate videamur diffidere. Etiam nostro & ejus nomine, quem commendamus, omni grati animi officium pollicebimur.*

commendatiæ. Commendationis exempla longé plurima suppeditat Tullius in epistolis. Imò ille libri decimi tertii omnes sunt *συστατικαὶ*: * ut eas Græci appellant. Sed illustris inprimis est sexta libri secundi, quâ Curioni Milonem in petitione consulatus commendat. Nam vel

sola

ſola prope univerſum hujus argumenti artificium comprehendit. Longiuſcula eſt, & liber ille etiam pueritiæ manibus teritur, ut eam abſcribere nihil ſit opus. Adde etiam Iſocratis epiſtolam quartam, quâ Diodorum, ac filium ejus, regi Philippo de meliori commendat nota.

17 Sect. *Eſt obliquæ commendationis genus, quo ſimulamus, nos commendare nolle, quem interim vel maximè commendamus.*

Ut ſi dicas, non quidem commendare te alteri Sextium velle; ſed orare ſolum, ut propius hominem noſſe ne gravetur. Sperare enim futurum, ut cum gratias agat, per quem viri tanti notitiam ſit conſecutus. Et hæc de commendatione.

CAP. XXII.

De Concitatione & Conciliatione.

1. Sect. *Nunc videamus de concitandi & conciliandi artificio. Ac prius quidem illud, ut raro laudem meretur, ita nec multum artis requirit: præſertim ſi negotium ſit cum multitudine imperita. Nam quotusquiſque non maximo opere cómmovetur, ſi ſibi vel ſuis, atrocem fieri injuriam intelligat? Quare hic ſola ſuffecerint, quæ de iræ & odii affectibus ſupra diximus.*

Exemplum tantummodo adferam ex graviſſimo

mò ſcriptore Tacito: * "Erat *inquit*, in caſtris "Percennius quidã dux olim theatralium ope- Lib. 2. Annalium "rarum, dein gregarius miles, procax lingua & "miſcere cœtus hiſtrionali ſtudio doctus. Is "imperitos animos, & quænam poſt Auguſtum "militiæ conditio, ambigentes, impellere pau- "latim nocturnis colloquiis, aut flexo in veſpe- "ram die, & dilapſis melioribus, deterrimum "quemque congregare: poſtremo promptis jam "& aliis ſeditionis miniſtris, velut concciona- "bundus, interrogabat cur paucis centurioni- "bus, paucioribus tribunis, in modum ſervo- "rum obedirent? quando auſuros expoſcere "remedia, niſi novum & nutantem adhuc prin- "cipem, precibus, vel armis, adirent? ſatis per "tot annos ignavia peccatum, quod tricena, & "quadragena ſtipendia ſenes, & plerique trun- "cato ex vulneribus corpore, tolerent. *Et mox:* "Enim vero gravem infructuoſum, denis in di- "em aſſibus, animam & corpus æſtimari, hinc "veſtem, arma, tentoria, hinc ſævitiam centu- "rionum & vacationem munerum redimi. At "hercle verbera & vulnera, hyemem, exercitas "æſtates, bellum atrox, aut ſterilem pacem ſem- "piterna, *&c.* Seditioſæ iſti concioni faces ſubdidit oratio Vibuleni, quam paulo poſt refert. Hujuſmodi autem virulentæ linguæ artificia ſeu beneficia malis noſſe convenit, non ut utamur, ſed ut melius ab iis caveamus nobis.

2 Sect. *Concitatione opponitur* conciliatio, *quæ bifariam fit: nam vel nobis amorem alicujus conciliamus: vel in gratiam reducimus partes diſſidentes.*

3 Sect. *In priori duo hæc præſtamus. Primum exponimus*

exponimus, quâ fiduciâ & quibus de causis, alicujus benevolentiam, & favorem ambiamus. Ubi laus ejus, quem amicum volumus, habet locum. Spectandum autem qua quisq; re imprimis velis æstimari. Humanitatis laus quasi communis omnium videtur. At alia magis sunt propriæ. Ut philosophus gaudet laudari ab ingenio perspicaci, & multarum disciplinarum cognitione : senator â prudentia singulari, & benevolentia erga cives : imperator à fortitudine, & rebus gestis. Ac juvenem quidem laudare licebit apertiùs : in sene id faciemus cautiùs. In utrisq; adulationis suspicionem, quantum licet amovebimus.

4 Sect. *Pars altera ostendet, favore non esse nos indignos : amicitiam nostram nec inutilem fore, nec indecoram. Quare hîc nosmetipsos laudabimus. Sed ea opus est prudentia, ut nequis laudis sua nimis videatur buccinator.*

Vide Epistolam Ciceronis ad Metellum Nepotem quæ est quarta libri quinti. Item nonam ejusdem libri, quæ Vatinii est ad Ciceronem. At luculentè inprimis hoc artificium aperit illa recentis, sed politissimi scriptoris, Angeli inquam Politiani Epistola ad Matthiam, Pannoniæ regem, quæ prima est libri noni.

5 Sect. *Partes dissidentes conciliamus hoc pacto. Ostendimus offensam omnem obliterare debere, partim quia utilius tutiúsq; est : partim etiam quia honestius. Ex affectibus hîc regnant spes & metus.*

6 Sect. *Quemadmodum verò concitare homines facile est : ita difficile est eosdem consiliare.*

Sunt

Sunt enim pleriq; omnes iræ, atq; offenſæ, nimis tenaces. Ac nuſquam facilius opera luditur, quàm apud multitudinem concitatam. Ubi haud multum valet diſerta oratio, niſi eam duplex muniat præſidium, benevolentia popularis, & dicentis majeſtas.

Unde Maro, cum ſeditionem populi deſcripſiſſet, ita canit.

1. Æn. *Tum pietate gravem, & meritis, ſi forte virum (quem Conſpexere ſilent, arrectiſq; auribus adſtant.*

* Sueton. in Cæſare cap. 70. & Tacit. lib. 1. An. in German. oratione. * Lib. 1. Annal.

☞ Sanè Jul. Cæſar * exercitum compeſcuit. *Quirites* appellando pro militibus; quâ unâ voce ita eos circumegit, & flexit, ut ſe milites eſſe reſponderint, & quamvis id recuſantem, ultro in Africam ſint ſecuti. Etiam ex tacito * videre eſt, quàm paucis verbis, ſeditionem à Percennio & Vibuleno motam, de qua antea diximus, compeſcuerit Clemens centurio. Verum ut præſtantiſſimus hiſtoricus ait, bonis artibus gratus erat in vulgus. Adhæc ſeditiones culpâ & ipſe tenebatur: ſed animum in meliùs mutârat.

7 Sect. *Porrò multum etiam refert, ut nequis efferatæ plebi ſtatim ſe credat, utcunq; & innocentiæ, & authoritatis præſidio tutus ſibi videatur. Nam primus ille multitudinis impetus planè eſt belluinus, ut ratione regi non poſſit, At ubi is deferbuit, idoneum magis orandi tempus erit. Sed priùs conſtare oportebit: quæ origo ſit mali tanti. Nam qui ignorat, quâ parte ſit vulnus, quomodo ei faciet medicinam*

medicinam? Etiam temperamento iſthoc in oratione opus erit, ut prius amicè delineamus; hinc verbis caſtigemus ſeverius. Atque interim modus ille in utroque hoc remedio tenendus, quam res, ut tempus poſtulabunt.

Non ignoravit hoc Cæſar Germanicus, qui ut obortam ſeditionem ſopiret *à veneratione Auguſti orſus,* (Quemadmodum Tacitus * narrat) *flexit ad victorias, triumphoſque Tiberii, præcipuis laudibus celebrans quæ apud Germanias illis cum legionibus pulcherrima feciſſet, Italiæ inde conſenſum, Galliarum fidem extollit, nil uſquam turbidum, aut diſcors.* Atque ab his ſenſim ad illa verba perductus eſt: *Vbi modeſtia militaris? ubi veteris diſciplinæ decus? quonam tribunos? quonam centuriones exegiſtis?* Quanquam parum quidem oratione ea flexit: ſed quod nec facundia viri, nec autoritas potuit, id, cum ducis uxor parvulum ſinu filium geſtans, & unà amicorum uxores, miſerabili agmine, ad Treviros fugerint, partim pudor & miſeratio, partim invidia in Triviros, extorſit.

* Lib. 1. An.

CAP. XXIII.

De Adhortatione & dehortatione.

1 Sect. *Altera claſſis orationum, quæ ad deliberativum genus referuntur, eo à cæteris diſtinguitur, quod hic præcipue excitatur fiducia, aut metus. Ejuſmodi adhortatio, & dehortatio,*

Græci

Græci orationes, vel epistolas adhortatorias vocant, προτρεπτικὰς, ῥυθμιστικὰς, παραινετικὰς.

2. Sect. Differt Adhortatio *à suasione, quod hæc consilii sit, illa motus: hæc ut in re incerta, docet, eoque plus habet argumentorum; illa inflammat, ac propterea plus habet caloris.*

Exhortatio, ut suasione latius accepta continetur; ita, si pressius vox sumatur, differt ab eâ trifariam, objecto, fine, tractatione.

Objecto quia suademus ignaris quod facto opus est: hortamur gnaros, nos quidem omnes, sed cessantes aut etiam currentes.

Fine, quia suadens hoc agit; ut velis: adhortans, ut magis velis, faceréque aliquid ausis.

Tractatione, quia suademus probationibus. Exhortamur metum tollendo, ac fiduciam pariendo.

3 Sect. *Fere autem in oratione justa suasio ad Confirmationem pertinet: exhortatio vero Conclusioni reservatur.*

Sanè qui adhortari velit, priusquam quid fieri oporteat, constet, is tantundem agit, ac si ex viridibus & humidis lignis confestim se ignem facere posse speret. Primum igitur animus argumentis est præparandus: ut quibus probetur rei utilitas, necessitas, facilitas. Postquam autem quid ex re sit, viderint auditores; faces stimulique animo subdentur, ut terreantur periculo, aut ignavia cessent.

4 Sect.

4 Sect. *Interdum tamen, quia, quid usus exegat, satis constat: princeps orationis pars est exhortatio argumenta vero suasoria tantummodo attinguntur.*

5 Sect. *Ac unde quidem suasoria hæc petantur, satis constat ex iis, quæ in genere deliberativo diximus. Affectus autem, quos ciere oportet, hi potissimum sunt.*

6 Sect. *Primum amor excitandos, tum rei, quam suademus: tum personæ, cujus studemus commodis, Etiam misericordiam erga eum commovebimus. Atque odium concitandum erga illum, qui hac parte adversatur.*

7 Sect. *Hinc æmulationi erit locus. Eoque aliorum industriam ad immitandum proponemus.*

8 Sect. *Postremo spes fit bonorum, ut quis adsit: & malorum incutitur metus, ne cesset.*

Exemplo esto oratio Scipionis apud Livium: qua milites, Romanos adhortatur, ad Carthaginem novam omnibus viribus oppugnandam.

9 Sect. *Cæterùm est ubi parcius hos moveamus affectus: eisi ubi majori id fiat cura Parciùs quidem apud viros in dignitate constitutos; quia hoc potentissimum est ad feriendos animos telum; item apud mentes sulphuratas, quales facile flammam concipiunt.*

Vt si Alexandri Magni similem accendere velis ad pugnam. Quippe Timotheus tibicen, cum bellicum caneret, ita regem eum inflammabat ut ad arma prosiliret; quemadmodum auctor est dio Prusæus. ‖ Verum, inquit idem, non hoc tam numeris Timothei, quamvis præstantibus, tribuere convenit, quam ‖ Orat. 1. de regno,

acri

aeri, & planè vivido Alexandri ingenio. Sane frigidum aliquem Daretem nunquam commoviſſet; uti nec Sardanapalum, cui neque Apollo, aut Mercurius, ullis numeris animum iſtum imſpirâſſent.

10. Sect. *Quia autem rari omnino ſunt, qui alieno conſilio, vel hortatu, credant indigere: eo in ipſo orationis ingreſſu dicere expedit, nos ad verba facienda officii potius ratione eſſe inductos, quam quod adhortatione ulla auditoribus ſit opus: quippe qui quid fieri oporteat, per ſe videant, & quod rectum ſciunt ſponte agant.*

Hoc artificioſe facit Dio Chryſoſtomus orat. ad Trajanum. Item Cicero Philip. IV. ubi ait: *Faciam igitur ut Imperatores inſtructa acie ſolent: quanquam paratiſſimos milites ad præliandum videant, ut eos tam adhortentur: ſic ego vos ardentes, & erectos ad libertatem recuperandum, adhortabor.*

11. Sect. *Plurimum eſſe poteſt ſi initio virtutem ejus extollas, quem hortari voles. Nam hoc pacto vehementius ille ſuſcitabitur ad præſtandum, quod requires.*

Atque eâ etiam parte, præivit nobis idem Tullius epiſtola ad Lucinum Calvum, nobilem oratorem. Etſi iſtoc ſummi viri conſilium non ſatis aſſequeretur C. Trebonius; qui Ciceronem in eo extollendo modum exceſſiſſe arbitrabatur. Verum reſpondit noſter, laudatione ea voluiſſe ſe ſuſcitare atque acuere animum Calvi, cui ad perfectam eloquentiam non

non multa deeſſent. Sed ipſum potiùs oratorem noſtrum audiamus: qui Trebonio, quem dixi, ita ſcribit lib. xv. epiſt. ult. "Ingenium "ejus melioribus extulit laudibus, quàm tu "id verè potuiſſe fieri putas. *Et mox*: Multæ "erant & reconditæ literæ: vis non erat. Ad "eam igitur adhortabar. In excitando autem, "& in acuendo, plurimùm valet, ſi laudes eum "quem cohortere. *Adjungit continuò*: Habes "de Calvo judicium & conſilium meum: conſilium, quòd hortandi cauſa laudavi: judicium, quod de ingenio ejus valde exiſtimavi "bene. Tantum de adhortatione.

12 Sect, *Huic* Dehortatio *opponitur*; *quæ tum contrariis rationibus utitur, ut diſſuadeat. tum ardorem animi, quaſi ingeſta frigida, extinguit.*

13 Sect. *In hac dicimus, rem eſſe malam, aut vilem, etiam quæ vires excedat; aut ſaltem laborioſam, aut cujus exitus ſit incertus, &, ut ſuccedat, parum tamen utilem fore.*

14 Sect. *Ridemus, neq; aliud quàm fumum eſſe oſtendemus montes illos aureos, quorum ſpes facta eſt. Exempla quoq; allata diſſimilia eſſe comprobatur.*

15 Sect. *Culpamus animos auditorum nimis credulos, quod fucum ſibi fieri non ſenſerint. Adverſariorum autem veteratorium ingenium perſtringimus, quod dolis ac fraudibus alios circumvenerint.*

16 Sect. *Deniq; periculorum ſummorum metu terrorum animis incutimus.*

Egregium dehortationis exemplum habemus

mus apud Titum Livium * in oratione Calavii, civis Campani, quâ filium ſuum Perollam ab Hannibalis cæde dehortatur. " Per ego te, " *inquit*, fili, quæcunq; jura liberos jungunt " parentibus, precor, quæſóq;, ne ante ocu- " los patris facere, & pati omnia infanda " velis paucæ horæ ſunt, intra quas jurantes " per quicquid deorum eſt, dextras dextræ " jungentes fidem obſtrinximus, ut ſacratis de " menſis eſſemus: digreſſi à colloquio extem- " plo in eum armamur? ſurgis ab hoſpitali " menſa, ad quem tertias Campanorum adhibi- " tus ab Annibale es; eam ipſam menſam cru- " entare vis hoſpitis ſanguine? Annibalem " modò pater filio meo potui placere, filium " Annibali non poſſum? Sed ſi nihil ſancti, " non fides, non religio, non pietas; audi- " antur infanda, ſi non perniciem nobis cum " ſcelere afferunt. Unus aggreſſurus es Anni- " balem? quid illa turba tot liberorum, ſer- " vorúmq;? quid in unum inrenti omnium " oculi? quid tot dextræ? torpeſcéntne in " amentia illa? vultum ipſius Annibalis, quem " armati exercitus tremunt, quem horret po- " pulus Romanus, tu ſuſtinebis? & ſi alia au- " xilia deſint, meipſum ferire, corpus meum " opponentem pro corpore Annibalis, ſuſtine- " bis atqui per meum pectus petendus ille tibi, " transfigenduſque eſt. Deterreri hîc ſine te " potius, quàm illic vinci. Valeant preces apud " te meæ, ſicut pro te hodie valuerunt.

CAP.

CAP. XXIV.

De Consolatione.

1 Sect. *Perveniemus ad tertiam classem, cujus orationes versantur circa dolorem alienum: ut sunt consolatoriæ.*

2 Sect. Consolatio *est oratio, qua animum mœrentis reddimus tranquillum.*

3 Sect. Dolor *vero, qui abstergendus est, vel provenit ex bono jam amisso, vel amittendi metu.*

4. Sect. *Consolatio, cui prioris generis dolorem lenire propositum est, diversimode instituitur, pro diversa natura vel mali quod obtigit vel personæ; sive ejus quæ consolatur; sive illius cui consolatione opus est.*

5 Sect. *In re ipsa videndum, num malum leve sit, vel tale saltem, quod corrigi possit.*

6 Sect. *Si leve sit licebit jocos admiscere, dum is ferre eos possit quem compellamus.*

7 Sect. *Si corrigi possit, conjecturas adferemus, unde verisimile fiat, malum hoc non fore diuturnum.*

8 Sect. *Consolator vel minor est, vel æqualis, vel major. Minori agendum circumspectius. Amorem suum imprimis testabitur: &, ne de suo sapere plus altero velle videatur, eo quæ dicturus opus, ex parente grandævo, vel quopiam philosopho, vel alio summæ prudentiæ viro, se aliquando audiisse profitebitur. Æqualis pro communi se amicitiæ jure facere dicet. Major utriusque aget liberius,*

adeo ut ſiquis immoderatius dolorem ferat, etiam increpet graviter.

Scitè hac de re Scaliger lib. III. de re poët. cap. XXIII. "Conſolator, *inquit*, aut eſt major, aut minor, æqualis. Magnitudinem intelligo, aut imperio, aut dignitate, aut opibus, aut ſapientia, aut ætate. Aliter enim conſolabitur Naſonem Livia, aliter Liviam Naſo, hoc ſpectat ad imperium. Dignitas aut etiam ſine imperio eſſe poteſt. Veluti ſi pater filium. Ciceronem Pompeius. Opibus, aut ſi è plebe quempiam clientem ſuum Craſſus. Sapientia, quemadmodum Polybium, aut matrem Seneca. De ætate non opus eſt exemplis. Major interponit autoritatem, etiam objurgabit. Sapiens opponet etiam diſputationem. Sententiæ huic crebriores. Minor oſtendet affectum: ſeſe id à ſapientibus accepiſſe. Æquales teſtabitur amicitiam: jus commune benevolentiæ.

9 *Sect.* "Is, qui conſolandus eſt, vel videri vult "fortior, quam ut egeat conſolatione; vel animo eſt infirmiori, quam ut, recenti adeo "dolore, ſolatium admittat.

10 Sect. "Prius ſi fuerit, dicemus, quanquam is "caſus eſt, qui alium quemvis de conſtantiæ "gradu dejicere poſſet, tamen ejus ſapientiã "& eximiam fortitudinem, ita nobis eſſe perſpectã, ut non dubitemus, quin in iſtis malis "animo ſit futurus plane inſracto. quippe qui "ſalutarib. philoſophiæ præceptis hoc jamdiu "fuerit conſecutus, ut ſciat hanc communem "eſſe mortalium legem, ut pati neceſſe

ſit

"ſit multa adverſa, & ſapientis nihil eſſe præ-
" ſtare præter culpam : neque lædi quem-
" quam poſſe, niſi à ſeipſo. Denique magni-
" tudini huic animi gratulabimur.

11 Sect. " Sin animus eſt infirmus, & dolor
" ita recens, ut reſpuere videatur medici-
" nam, bipartita erit oratio. Priori parte ani-
" mum dolentium in nos transferemus, ut
" noſtro magis dolori obſequi, quàm alienum
" mitigare velle, videamur.

12 Sect. " Affirmabimus, nos parùm eſſe ido-
" neos, qui ſolemur alios, cùm tantopere
" animi diſcruciemur, ut conſolatione ipſi
" egeamus.

13 Sect. " Atque ut ex animo hoc dicere creda-
" mur, cauſas doloris noſtri afferemus: nem-
" pe gravitatem mali, quo quis eſt affectus :
" & indignitatem perſonæ illud perpetien-
" tis ; ubi & laus ejus admiſcetur.

14 Sect. " Addemus, non nos modò propterea
" dolere, ſed omnes bonos.

Et talis erit prima pars, quâ conſequimur hoc, ut facilius perſuadeamus alteri, adverſam fortunam magno fortique eſſe animo ferendam : quippe qui videat, multum quidem affici nos caſu tam triſti : verumtamen æquo eum animo tolerare. At illos, qui non commoventur malis noſtris, etiam odimus : quo nihil ad perſuadendum noxium eſt magis.

15 Sect. " Alterâ verò orationis parte adfere-
" mus ea, quæ idonea ſunt dolori leniendo.
" Quale fuerit, ſi affirmes, malum grave qui-
" dem eſſe; ſed quod patientiâ poſſit mitigari.

* Lib. 1. Od. 24. Juxta illud Venusini poetæ * :

Durum, sed levius fit patientiâ,
Quicquid corrigere est nefas.

16 Sect. *Imò nec grave adeò esse, quàm videtur. Nam non futurum hoc diuturnum. Vel bono alio posse resarciri. Vel graviora multò alios perpeti.*

17 Sect. *Argumenta hîc imprimis sumemus ab honesto, utili, necessario, jucundo, possibili.*

18 Sect. Ab honesto, *quia hæc divina est voluntas, hoc ratio dictat, hoc virtutis exigit natura, ut animi dolorem rectè factorum conscientiâ mitigemus.*

19 Sect. Ab Utili *quia virtus rebus adversis redditur illustrior clariorq; ac præterea iisdem erudimur, & prudentiores ac meliores evadimus.*

Jure sanè Alexander Magnus hoc uno nomine infelicior fuisse jure censetur, quòd semper fuerit fœlix. Nec enim vina eum magis, quibus se tantopere ingurgitabat, quàm dulcis inebriabat fortuna.

20 Sect. A necessario, *quia, quæ effugere non licet, ea lugendo non corrigimus, sed exasperamus.*

Eoque, ut ait Publius Mimus,

Feras, non culpes, quod vitari non potest.

21 Sect. A Jucundo, *quia utcunq; nunc ingrata sors*

sors ista sit ; tamen venit tempus, quo voluptatem gignet præteritorum malorum memoria cum honesto nomine conjuncta.

22 *Sect.* A possibili, *quia nulla est calamitas tanta, quin patiendo vincatur.*

23 *Sect. Ac postremo isti argumento multum roboris accesserit ab illustribus eorum exemplis qui adversa constanter pertulere. Quæ si domestica fuerint multo etiam amplius movebunt.*

24 *Sect Deniq; exemplis illis ad pristinam adhortabimur virtutem, atq; animum fortem, ne frustra se maceret, ac nominis sui honorem, si impatientius se gerat, offuscet, atq; imminuat ; suisq; hostibus gaudium creet.*

Quid verò prohibet, quò minus & alteram methodum præscribamus?

25 *Sect. Possumus autem hanc etiam viam inire. Primùm quidem causas adferemus, quæ nos ad consolandi officium impulerint.*

Ut sunt cognatio, amicitia, misericordia, hortatus amicorum, & alia.

26 *Sect Deinde agemus de naturâ mali, quod fatebimur grave quidem esse & tale, ut propterea ipsi etiam doleamus non mediocriter : sed negabimus, durum adeo judicandum, ut ejus molestia quisquam animam suam debilitari ac frangi patiatur.*

27 *Sect. Post illa ex persona ejus, quæ malum patitur, quadrifariam argumentabimur. Primùm monebimus, ut cogitet, hominem*

se esse eoq; humanam conditionem ferre constanter oportere.

Ut ficuti immoderatè lugeatur mors mariti, vel uxoris, affirmabimus, hanc fuisse, esse, fore sortem omnium, ut seriùs, ocyùs, vita hæc deseratur; nec causam fuisse, cur ille illave eximeretur communi hominum lege, atq; adeo omnium, quæ ortum habent; quando omnia quæ ejusmodi sunt occidunt. Pulchrè Statius Papinius *;

Lib. 2. Sylvar. in picedio lauciæ.

——Omnia functa,
Aut moritura vides, obeunt noctesq; diesq;
Astraq; nec solidis prodest sua machina terris.
Nam populos mortale genus plebisq; caducæ.
Quis fleat interitus? Hos bella, hos æquora poscunt.
His amor exitio, furor his, & sæva cupido:
Ut sileam morbos, hos ora rigentia bruma,
Illos implacido lethalis Sirius igni,
Hos manet imbrifero pallens Auctumnus hiatu.
Quicquid habet ortus finem timet, ibimus omnes
Ibimus.

28 Sect. *Huic in viro succedet, quòd non homo solùm sit, sed etiam mas: eoque non debeat esse animo molli, & effœminato.*

Sanè quid turpius, quàm ut viri qui esse volunt, animos gerant muliebres? Et tamen in luctu nihil pervulgatum magis. Quod cùm videret Lyciorum legislator; voluit, ut mares lugentes fœminio uterentur habitu, quo significaret, luctum esse quid muliere magis dignum, quàm viro liberaliter instituto: tum etiam,

etiam, ut ſchemate tali animus ad tranquillitatem citius reduceretur. Auctor Plutarchus Conſolatione ad Apollonium.

29. *Sect.* " Tertium eſto, quod non vir modo " ſit ſed etiam habeatur, & ſit vir prudens. " Quando cogitare debet, quicquid extra ſe " eſt, ex adventitio fulgere; ut liberos, hono- " res, opes; imo vitam ipſam χρῆσιν * ſolum " noſtrã eſſe, κτῆσιν || vero naturæ, vel Dei potius.

* Vſu

|| Poſſeſſione.

Quod eleganti hoc verſu indicat Lucretius * * Lib. 3.

Vitaque mancipio nulli datur, omnibus uſu.

30 *Sect.* " Quartum nobis quidem Chriſti So- " ſpitatoris cultoribus illud eſt, quod non " modo quis civili eſt prudentia inſtructus; ſed " Chriſtiana etiam religione ſit imbutus. At- " qui ea Chriſtiani conditione facti ſunt, ut ca- " lamitatibus hujus ſeculi exerceantur, ne " cum mundo pereant †. Delibari quoq; hic " poterit locus communis de providentia di- " vina in malo.

† 1 Cor. 11. 32.

31 *Sect.* " Quod ſi quis non Chriſtianus tantum- " modo ſit, ſed etiam doctor Chriſtianus jam " quintum inde petetur argumentum.

Vt qui non homo duntaxat ſit, ſed etiam vir; nec vir modo, ſed inſuper prudentia commendabilis; nec talis modo, ſed ſimul Chriſtianus, atque adeo quem Chriſtianis aliis patientiæ & fortitudinis exemplo præire oporteat; ne quod una manu exſtruit, id altera deſtruat. Notum eſt iſtud Dionyſii Catonis

Turpe eſt doctori, cum culpa redarguit ipſum.

Atque hæc dicta ſunto de conſolatione primi generis; in qua præſtare aliquid ſi voles, è recentioribus quidem juvabunt duo ſummi viri, Eraſmus commentatione illa, quam inſcripſit de epiſtolis conſcribendis; ac Julius Scaliger lib. III. de re poetica cap. CXXIII. è veteribus autem, cum Rhetores, & hos inter Menander lib II. cap. VIII. tum Oratores & Philoſophi, ut Tullius tot epiſtolis; ac præterea Servius Sulpitius epiſtola ad Ciceronem de morte Tulliæ; item Seneca ad Polybium, Marciam, Helviam; Plutarchus ad Apollonium, & uxorem; Ariſtides ad Etonei parentes, atque alii.

32. §. *Alterum genus ſolatur mœrentes, eo quod jam malum ſibi putent imminere.*

Vt ſiquis apud tyrannum venerit in ſuſpicionem conjurationis. Quomodo hujuſmodi conſolationem tractari conveniat non melius poſſum dicere, quam Julii Scaligeri verbis. Sic vero ſcribit ſummus vir.

33 §. *Conſolatio talis in duas partes erit dividenda.* In primâ pones ſpem, quâ vel opinio deleri, vel ira placari poſſit. In ſecunda addes animos, eventum contemnens, cariſſima quæque oſtendens eſſe viliſſima: denique à philoſophis mundi, vitæque contemptoribus, omnia mutanda. Quæ ſi vulgata ſunt præcepta, ſententiæ,

tiæ, proverbia : aliis omnino verbis, numeris, figuris, exprimenda sunt. Nihil enim minùs movet, quàm familiaria, nota, atque quotidiana. Sin à vulgi opinionibus usque maximè abhorrent, ac propterea ægrè animum subire valent : tum verò non tam rationibus, argumentis fides extorquenda, quam exemplorum persuasione insinuanda, *De consolatione satis.*

CAP. XXV.

De Petitoria.

1 Sect. *In quarto genere orationum dominatur gratiæ affectus. Uti sunt petitoriæ.*

2 Sect. Petitione *aliquid postulamus, vel pro nobis, vel proalio. Posterior hæc* Intercessio *vocatur.*

Utriusque artificium paucis complexus est Servius ; ubi Junonis ad Eolum orationem enarrat, Rhetoricum, inquit, est in omni petitione hoc observare, ut possit præstari, quod petitur, id est, ut sit possibilitas : & sit res justa, quæ petitur : ut habeat modum petitio, ut sequatur remuneratio. Et sciendum, secundum hunc ordinem omnes Petitiones formare Virgilium : ut in hoc loco possibilitas est.

Æole, namq; tibi Divum pater, atque hominum
Et mulcere dedit fluctus, & tollere ventos (Rex,
Justa petitio est ;
Gens inimica mihi Tyrrhenum navigat æquor ,

Ilium in Italiam portant, victosq; penates,
Omne enim, quod contra inimicos petimus justum
Modus est petitionis. (est.
Incute vim ventis, submersasq; obrue puppes,
Aut age diversas & disjice corpora ponto.
Remuneratio.
Sunt mihi bis septē præstanti corpore nymphæ,
Quarum, quæ formâ pulcherrima, Deiopeiam,
Connubio jungam stabili propriamq; dicabo;
Omnem ut tecum meritis pro talibus annos
Exigat; & pulchrâ faciat te prole parentem.

Hactenus Maro, Serviusq;. Sed cum non unum petitionum genus, distinctius videtur de utroque esse dicendum.

3 Sect. *Petitio alia recta est, alia obliqua. In illa apertè aliquid petimus: in hac, insinuatione opus est.*

4 Sect. *Aperta petitio locum habet in re planè honesta, & apud eum, qui benè nobis vult.*

5 Sect. *In hac primùm aliquid permittitur ad amorem magis conciliandum nobis.*

6 Sect. *Etiam, si opus fuerit, modum ostendimus, quo negotium confici possit.*

7 Sect. *Deniq; remunerationem pollicemur.*

8 Sect. *Obliqua verò petitione utimur, si vel parum sit honestum, quod poscimus: vel in parum est amicus, quem poscimus.*

9 Sect. *In hac primùm exponimus, quàm noxius sit egenti pudor, quantaq; videatur esse audacia, postulare â quoquam rem tantam, de quo nunquam sis bene promeritus; vel cui saltem nihil præstiteris magnopere gratia dignum.*

10 Sect.

10 Sect. *Addemus, nos nihilominus ſpem maximam concepiſſe, fore ut repulſam non feramus. Et ne temere videamur confidere, afferemus fiduciæ cauſas: ut quod aliis etiam benefecerit, quibus juſtius poterat negare: item quod divina quadam ſit bonitas viri quæ prodeſſe omnibus gaudeat.*

11 Sect. *Quod ſi jam ante de nobis bene meritus fuerit affirmabimus, cum multum ei ſimus devincti, tamen velle eſſe obſtrictiores. Referemus etiam, ut cum in parentis loco coluerimus ſemper omnemq; in eo collocemus fiduciam, neq; cuiquam debere malimus, quam illi.*

12 Sect. *Sin ipſi aliquando præſtiterimus beneficium, id ſolum attingemus modeſtè, ne, quaſi debitum, flagitare improbe videamur.*

13. Sect. *Habet hîc etiam laudatio parentum, & majorum utriuſque: ac ſi neceſſitudine inter ſe conjncti fuerint, illud ipſum ac mutua juvandæ augendæq; dignitatis officia commemorabimus. Indicabimus etiam, quam pulchrum ſit ut hæredes opum paternarum ſimul amicitiæ ſint hæredes.*

14. Sect. *Oſtendemus præterea, petere nos rem honeſtam, piam, juſtam; illi facilem, quem rogamus; nobis vero perutilem, vel etiam neceſſariam. Atque hic miſericordiam ab inopia, vel miſeria noſtra ciebimus.*

15. Sect. *Quod ſi quid incommodi videatur, ad alterum poſſe redundare: vel hoc reſellemus vel extenuabemus. Dicemus commune nobis eſſe negotium cum iis, quos ille odit, aut timet.*

16. Sect. *Etiam preces addemus, & obteſtationes per res illas, vel perſonas, quibus*

quibus cum nihil habere carius constat.

17. §. *Denique promittimus animum gratum; &, quamvis facultas referendi gratias vel nulla sit, vel exigua; tamen summam fore animi nostri propentionem, & prolixam semper voluntatem. Totos etiam nos fidei illius consecrabimus.*

Petitionis exemplum est apud Isocratem Epistola VIII. qua poscit à Mitylenæis, ut ab exilio revocent Agenorem, nepotum suorum magistrum. Multa etiam exempla suppeditabunt epistolæ Ciceronis. Eas inter, sideris instar, reluceat elegans illa ad Lucceium † qua Tullius petit, ut quæ in consulatu suo gesserat, literis velit consignare.

† Lib. 4. Epist. 12.

Porro ad peritoriam refer quoque orationem legati, qui mistus est, ut auxilium adversus hostes, vel quid aliud, expoſcat. Item eam, qua rogatur princeps, ut in urbem nostram, sive alia de causa, venire dignetur. De priori agit Menander lib. 1. cap. XI. de posteriori tractat cap. seq.

CAP. XXVI.

De Invectiva & objurgatione.

1. Sect. *Supersunt orationes, quæ generi subjiciuntur Juridiciali. Vt sunt invectiva, objurgatio, expostulatio, exprobratio, & deprecatio.*

Quanquam

Quanquam invectiva videtur non recte minus posse referri ad genus demonstrativum ut quæ contineat vituperationem personæ, aut vitii. Sed qui maluerunt de illa tractare hoc loco, eo respexerunt, quod non tantum assumatur in genere juridiciali; sed etiam in tractandi modo imitetur forensem accusandi formam.

2. Sect. *In invectivi, argumenta ad probandum suppeditant ea, quæ de vituperatione in genere demonstrativo; deque criminatione in juridiciali genere dicta sunt. Ordo non est hic uniusmodi. Nam interdum invehimur in vitam omnem à puero usque ad ætatem provectam: interdum certis vitiorum capitibus insistimus. Affectus autem quos movere in eo convenit, quem exagitamus sunt duo inprimis, pudor facti, & metus ignominiæ, aut pœnæ apud alios autem concitantur ira, odium, invidia, affectus alii: de quibus in παθολογία. egimus.*

Exemplo hic esse possunt Demosthenes in Aristogitonem, & quæ idem adversus Æschinem, vel hic adversus Demosthenem scripsit. Item Cicero in Catilinam, Vatinium, Pisonem, Antonium; item quæ illum in Salustium dixisse, vel Salustium in Ciceronem, vulgo est persuasum.

3. §. *Nec in personam habetur tantum sed etiam senatum vel populum universum.*

Cujusmodi

Cujuſmodi eſt Oratio Pontii Herenii in Romanos, cum dediſſent fœderis Caudini auctores, bellumque indixiſſent Samnitibus. Livium vide lib. IX.

4 Sect. *Vtrobique cavendum, ne frana laxemus malidicentiæ; idque eo magis quia ne ſummi quidem viri ſatis hac parte cavere ſibi potuerunt.*

Nunquam ſane homines magis eſſe diſerti ſolent, quam ſi alios exagitare liceat. Sed canina hæc plurimum facundia eſt.

5 Sect, Objurgatio *eſt reprehenſio ob delictum, quæ emendationem alterius ſibi proponat.*

Differt ab invectiva, quod hæc ferè circa inimicos verſetur, & id ſpectet, ut noceat; illa inſtitnitur erga amicos, & hoc ſtudeat, ut proſit. Adde quod objurgario plurimum eſt ſuperioris; ut imperatoris erga militem, patris adverſus filium.

6 Sect. *In hac ante omnia deſpicere oportet, quo ingenio is ſit, quicum nobis negotium eſt. Sunt enim non pauci adeo duræ cervicis ut nihil proficias, niſi graviter intones, & minas etiam addas. Sunt alii ingenii adeo mitis, ut hanc ſi viam inire velis, perdas eos potius, quam corrigas.*

7 Sect. *De methodo ita ſtatuimus. Primum ob oculos delictum ponitur. Vbi videndum, ne graviori illud nomine vocemus, quam convenit, præſertim apud eos qui rerum momenta, judicii*

judicii trutinâ norunt ponderare. Sin crimen fuerit planè atrox, ferè satiùs est, ut scapham vocemus scapham, & ficum, ficum.

8 Sect. *Hinc, quod peccatum est exaggerabimus à circumstantiis personæ, loci, temporis, modi. Item ab aliorum comparatione.*

9 Sect. *Et quidem apud homines duros, quos aliter flectere non possis, sequetur gravis expostulatio, atque etiam comminatio. Ac desinere expedit oratione concisâ, ut major injiciatur terror.*

Quomodo in tempestate homines magis fulmen extimescunt, quando, quâ parte eruptorum sit, non vident.

10 Sect. *At eos qui dociles sunt, non nimis exasperabimus: sed orationis acrimoniam paullo mellis temperabimus. Hoc fiet, si initio laudemus.*

Nam meritam si tribuerimus laudem, videbimur nòn odio, aut malevolentiâ reprehendere, sed amore. Vide, quæ de hortatoria diximus superiùs cap. XXIII. Sect. XI. Propterea utile interdum est: potissimum in epistolis, si initio quædam afferantur ex loco communi de discrimine adulatoris, & veri amici.

11 Sect. *Prodest quoque, si affirmemus, nos necessitate adactos ad reprehendendum accessisse.*

Uti de monitorio diximus cap. XXI. Sect. 6. Vocant Græci προσποίησιν ἀναγκὴς, *simulationem necessitatis.*

12 Sect.

12 Sect. *Valet etiam, si non tam ipsi vitium hoc in amico observâsse videamur : sed ab aliis in eo id requiri dicamus.*

Quemadmodum & in monitoria fit : ut retuli cap. XXI. Sect. 5.

Nuncupant προσώπου παλλαγὴν *commutationem personæ*. Atquæ hæc duo in epistolis præcipuè habent locum.

13 Sect. *Multum etiam refert, si, quos reprehendimus, sentiant nos dolere eorum vicem Ut &, si postremo eos loco commoneamus virtutis pristinæ, & quam de illis habeamus spem, proponamus. Quæ duo non epistolis modo ad amicos exaratis conveniunt : sed etiam orationibus de rebus gravissimis ad senatum, populum, vel exercitum, institutis.*

* Apud Tacitum l. 1. Annal.

Exemplo in hoc genere esto inter alias oratio Germanici * ad milites rebelles. Ubi de genere criminis sunt ista ; *Quod nomen huic cœtui dabo ? militésne appellam ? quod filium imperatoris vestri, vallo & armis circumsedistis ? An cives quibus tam projecta senatus auctoritas ? hostium quoque ejus, & sacra legationis & fas gentium rupistis* &c. A circumstantiis mox exaggerat : *Primane & vigesima legiones, illa signis à Tiberio acceptis, in tot præliorum socia, tot præmiis aucta : egregiam duci vestro gratiam refertis ?* Hinc comminatio sequitur : *Hunc ego nuncium patri, lætæ omna allis è provinciis audienti feram?* Post aliqua conclusurus, vide ut ad spem, atque amorem excitet ; *tua dive Auguste cœlo recepta mens, tua, pater Druse,*

Druſe, imago, tui memoria, iiſdem iſtis cum militibus, quos jam puaor & gloria intrat, eluant hanc maculam, iraſq; civiles in exitiũ hoſtibus vertant.

14. §. *Sed ſi is fuerit, in quem vel jure, ac beneficio naturæ, vel aliter pene nihil non liceat nobis: jam laudis vel diſſimulationis lenimento vix unquam erit opus.*

Vt in oratione veturiæ ad Coriolanum apud Livium. "Sine, priuſquam complexum accipio, "ſciam ad hoſtem, an ad filium venerim; cap- "tiva, materve in caſtris tuis ſim. In hoc longa "vita, & infelix ſenecta traxit ut exulem te, "deinde hoſtem viderem? potuiſti populari "hanc terram quæ te genuit, atque aluit? non "tibi quamvis infeſto animo, & minaci perve- "ras ingredienti fines ira cecidit? non cum in "conſpectu Roma fuit, ſuccurrit, intra illa mœ- "nia domus ac penates mei ſunt? mater, con- "jux, liberique? Ergo ego niſi peperiſſem, Ro- "ma non oppugnaretur? niſi filium haberem, "in libera patria mortua eſſem? ſed ego nihil "jam pati nec tibi turpius, quam mihi miſerius "poſſum: nec, ut ſim miſerrima, diu futura ſum. "De his videris: quos ſi pergis, aut immatura "mors aut longa ſervitus manet.

CAP. XXVII.
De expoſtulatione, exprobratione, & Deprecatione.

1 Sect. Expoſtulario *eſt queremonia de injuria accepta.*

2. Sect. Ea vel levior eſt, vel gravior. Levi- "or, vel laude, vel joco, vel diſſimulatione, "temperanda eſt; niſi fortè ſummæ autoritatis "apud

" apud alterum simus. Ac factum quidem im-
" probabimus: excusabimus vero voluntatem,
" quantum licet. Dicemus nos mirari, quod
" officium neglexerit: sed quidvis tamen
" malle suspicari, quam eo hoc factum esse,
" quia nostri, vel amicorum, vel Reip. amore
" minus tangatur, quam solet.

3 *Sect.* " In graviori expostulatione videndum,
" ne ob leves causas fiat: &, ut gravis subsit
" causa tamen ita est instituenda oratio, ut ne
" injuriam nimis videamur exaggerare; sed
" potius credamur multa plura tulisse, quæ si-
" lentio hactenus presserimus; nunc autem
" eo processisse malum, ut dissimulari ultra
" non possit: præsertim cum majora etiam
" timeantur.

Nihil sanè fidem magis adstruit quærimoniæ nostræ, quam si reluceat in ea animus patiens. Nam ita consequimur, ut videatur illam extorsisse necessitas. Itaque opera danda est præsertim personæ gravi, ne quid abjectum ac muliebre habeat sermo. Attamen adflictis planè, atque oppressis, miserabili oratione uti licet apud superiores, & omnes quorum in manu eorum sita est salus. Dispar vero ratio erit si apud æquales dicamus; nec eum, de quo quærimur, perditum ire velimus, sed ad mentem revocare saniorem. Eaque in re præit nobis Tullius ipse Philip. 1. " Priusquam, *inquit*, de Rep. dicere incipio, pauca
" querar de hesterna M. Antonii injuria cui sum
" amicus; idq; nonnullo ejus officio debere esse,
" præmi semper tuli Quid tandem erat causæ,
" cur in senatum hesterno die tam acerbè coge-
" rer? solusq; aberam an non sæpè minus fre-
" quentes

" quentes fuistis? an ea res agebatur, ut eti-
" am ægrotas deferri oporteret? Annibal,
" credo, erat ad portas, aut de Pyrrhi pace
" agebatur: Ad quàm causam etiam Appium il-
" lum & cæcum, & senem, delatum esse, me
" moriæ proditum est. De supplicationibus re-
" ferebatur: quo in genere senatores deesse
" non solent. Coguntur enim non pignori-
" bus, sed eorum, quorum de honore agitur,
" gratiâ: quod idem fit, càm de triumpho re-
" fertur. Ita sine cura consules sunt, ut penè
" liberum sit senatori non adesse: qui cum mihi
" mos notus esset, cumque de via languerem,
" mihimet displicerem; misi pro amicitia, qui
" hoc ediceret. At ille, vobis audientibus,
" cum fabris se domum meum venturum esse
" dixit. Nimis iracunde hoc quidem, & val-
" de intemperanter. Cujus enim maleficii ista
" pœna est, ut dicere in hoc ordine auderet, se
" publicis operis disturbaturum publicè ex
" senatus sententia ædificatam domum? quis
" autem unquam tanto damno senatorem coe-
" git? aut quid est ultra pignus, aut mulram?
" qui si scisset, quam sententiam dicturus essem,
" remisisset aliquid profecto de severitate co-
" gendi.

4 Sect. *Sequitur* Exprobratio, *quæ eo differt ab expostulatione. quòd illa etiam fiat adversus amicos; exprobratio adversus inimicos; neq; hos quòsvis, sed ingratos.*

5 Sect. *Constat partibus duabus. Prior est beneficii nostri commemoratio, & exaggeratio. Quia verò parum liberale videtur beneficia sua objectare, eaq; extollere multum; eo affirmabimus, id nos facere invitos; sed alienis*

nis compelli injuriis. Atq; hic & conſcientiam adverſarii teſtari licebit.

6 Sect. *Altera pars expoſitio, nec non amplificatio malificii alieni.*

7 Sect. *Quandoque & ab hypotheſin adſcenditur univerſeq; aliquid dicitur de vitio criminis ingrati.*

Exemplo ſit Epiſtola Ciceronis ad Antonium, quæ quinta eſt libri quinti. Item Epiſtola ſcholaſtici, ſeu rhetoris cujuſdam, ſub nomine Ciceronis ad Octavium. Ut & oratio Ariadnæ ad Theſeum apud Catullum * cujus initium,

* Carmine de nuptiis Pelei & Thetidis.

Siccine me patriis abvectam, perfide, ab oris.

Et oratio Didûs ad Æneam, * quæ incipit. *Num fletu ingemuit noſtro, &c.*

* Lib. 4. Æn.

Item apud Ovidium epiſt. Medeæ ad Jaſonem.

8 Sect. Deprecatio *tractanda eſt in hunc modum. Primum opera danda eſt ut tempore fiat opportuno. Item per eos, qui gratiâ & autoritate pollent: quippe quibus nihil facilè negetur. Vel per homines miſeros & luctu ac ſqualore confectos: quorum in fælici conditione ultrà mihi quicquam accedere velle, durum videatur.*

Vide, quæ de tempore commodo & perſonis idoneis, ſuperius * diximus, cum de affectu Lenitatis ageremus.

* Cap. 8. §. 3. & quatuor ſeqq.

9 Sect. *Hinc demonſtrabimus, crimen non eſſe malitiâ commiſſum. Ubi loci Purgationis adhibentur*

hibentur. Sed si color ejusmodi non habeat locum : satius est, ut ingenuè culpam fateamur, quàm ut frivolis nos ratiunculis defendamus. Siquidem illud turpis causæ patrocinium offendere magis viros principes solet. Præterea, si crimen tantopere imminuamus, clementiæ suæ detrahi existimant, quasi leniculam tantummodo culpam condonent.

10 Sect. *Posthæc tractandus est locus communis de clementia : sed non evagandum nimis : eaq; præcipuè afferri debent, quæ causæ magis propria sunt.*

11 Sect. *Exinde adjungemus rationes à qualitate personæ, pro qua dicitur : ut quæ petuntur à nobilitate ejus, eruditione, anteactæ vitæ innocentiâ, meritis erga remp. item ostendemus, ut si ignoscatur, nihil quidem incommodi inde ad Remp. possit redundare ; hominem verò ipsum magnopere utilem fore Reip.*

12 Sect. *Postremò adhibentur ἀπορίαι* queri-monia, obsecratio : in quibus tamen omnibus τὸ πρέπον* est suadendum : quia si gravis sit persona, nihil pro ea muliebriter ac demisse nimis est poscendum.*

* Dubitatio de eo, quid miser sit auctu-rus.

* Deorum.

Exemplum deprecationis apud Ciceronem habemus in peroratione orationis pro Muræna : *Fidem vestram, Vel defensoris, & amici officio adductus, oro, atq; obsecro, judices, ut ne hominis miseri, & cum corporis morbi, tum animi dolore confecti, L. Muranæ, recentem gratulationem novâ lamentatione obruatis. &c.* Cæterum vix in judicio deprecationi est locus ; nisi cum pro eo dicimus, cujus magna sunt merita. At tum in loco communi per amplificationem

cationem injicitur; ut ait scriptor ad Herennium lib. 1. An apud parentem vel imperatorem, dispar est ratio; unde Cicero pro Ligario; *Causas, Cæsar, egi multas, & quidem tecum, dum te in foro tenuit ratio honorum tuorum; certè nunquam hoc modo, Ignoscite, judices erravit, lapsus est, non putavit; si unquam posthac. Ad parentem sic agi solet. Ad judices, Non fecit, non cogitavit, falsi testes, fictum crimen.* Atque hæc dicta sunto de Inventionis doctrinâ, tum primariâ, & magis simplici; tum alterâ ex priori ortâ; quibus duabus eam partibus absolvi, superius * dicebamus.

* Lib. 1. cap. 2. Sect. 6.

FINIS LIBRI SECUNDI.

LIBER TERTIVS
GERARDI JOHANNIS VOSSII
PARTITIONUM *ORATORIARUM.*

Liber Tertius.

CAP. I.

De Dispositione Vniverse.

1. §. *Accedamus nunc ad alteram Rhetorices partem, quæ* dispositio *vocatur. Est ea partium orationis idonea ad persuadendum collocatio.*

Ex qua definitione patet, quantopere aberrent, qui dispositionem hanc logicæ esse partem contendunt, cum Logica Dispositio longè alia sit. Quippe si eo nomine intelligant γένεσιν syllogismi; hæc solum respicit ordinem terminorum in syllogismo. Sin methodum sic appellant; ea spectat, vel artium, & disciplinarum constitutionem; vel tractationem quæstionum, sed nudam; citra exordium, aut epilogum; citra mores, & effectus quæ ad persuadendum adhibentur. Vt etiam diximus lib. 1. cap. 1.

2 Sect.

2 Sect. *Partes orationis duæ sunt simpliciter necessariæ, propositio, & fides, seu probatio, qua & contentio dicitur.*

Quemadmodum enim in omni syllogismo conclusio est, quæ probetur & argumentum, per quod probetur; ita in omni quoque oratione est principalis quædam controversia, quam propositio assignat, & rationes sunt causam nostram probantes, adversari refellentes, quæ in fide, seu contentione collocatur.

3 Sect. *Sunt præterea duæ partes necessariæ κατὰ τι* h. e. *propter hominum infirmitatem; qui, cum rationibus sæpe non moveantur, affectibus sunt trahendi. Eæ partes sunt exordium, & peroratio: illud ad conciliandum, hæc ad concitandum imprimis adhibetur.*

4 Sect. *Interdum & quinta pars accedit narratio. idque potissimum in genere Judiciali. Quin etiam sex orationis partes statui possunt, quia fides seu contentio confirmationem & confutationem comprehendit.*

CAP. II.

De Exordii duplici officio, & Utriusque locis generatim.

1 Sect. Exordii *munus est duplex: indicat enim scopum orationis, & præparat auditorem ad reliquam dictionem.*

Ac Cicero quidem prius solet animos parare, & deinde exponere, quâ de re sit dicturus. Sed

Sed veterum multi contrarium facere solent, ac quandoque etiam Cicero ipse.

2 Sect. *Bifariam verò à priori munere incipimus. Interdum quidem simpliciter exponimus, quâ de re dicendum si. Quamvis autem Aristoteles ejusmodi exordium minus probet, quia oratio sic quasi ἀκέφαλος * sit: constat tamen præstantes etiam oratores ita ordiri.*

*Trunca & capite carens.

Ut Gorgiam Leontinum, qui de Eliensium laude dicturus, ita cœpit: Ἧλις, πόλις εὐδαίμων*. Nec multum abit illud Gregorii Nazianzeni in laudem Athanasii, Ἀθανάσιον ἐπαινῶν ἀρητὴν ἐπαινέσομαι*.

*Elis beata.

*Athanasium laudans, virtutem laudabo.

3 Sect. *Sed sæpius auspicamur à generali pronunciato ex intimis causæ visceribus ducto: cui tanquam fundamento mox superstruitur quæstio particularis.*

Ut si Elienses laudaturus inde ordiatur, quòd utile sit præclaras urbes laudibus ornari; aut si Athanasium celebraturus, inde inchoët, quod viros virtute præcellenti præditos oratione extolli oporteat, quò ita ad imitationem eorum alii incitentur. Similiter adversus adulterum, vel meretricem dicturus, incipere poterit à laude castitatis, aut vituperatione vagæ libidinis.

4 Sect. *Porrò eum, qui vel solum hoc artificium satis attenderit, non facilè deficiet commodè ordiendi ratio. Attamen ne eandem semper incudem tundamus necesse etiam est nosse*

alias vias, quæ similiter ad scopum orationis ducant. Hujusmodi est initium ἐξ ὑπολήψεως, & sive ab opinione eorum, apud quos dicimus.

Quomodo Demosthenes adversus Midiam orditur *: Τὴν μὲν ἀστελγείαν, ὦ ἄνδρες δικασταί, καὶ τὴν ὕβριν, ἢ πρὸς ἅπαντας ἀεὶ χρῆται Μειδίαι, οὐδένα οὔθ' ὑμῶν, οὔτε τῶν ἄλλων πολιτῶν, ἀγνοεῖν οἴομαι. Item Cicero Invectivâ IV. in Catilinam: *Video P. C. in me omnium vestrum ora atque oculos esse conversos. Video vos, non solùm de vestro, ac Reip. verumetiã, si id depulsũ sit, de meo periculo esse sollicitos.*

* Qua petulantia. Judices, & contumelia in omnes semper utatur Midias, neminem aut vestrûm, aut aliorum civiũ, arbitror ignorare.

5 Sect. *Item initium ἐκ περιουσίας sive ex abundanti: cùm, antequam dicamus, de quo agere propositum sit, præmittimus, nos eo contentos fore, etsi adferre possimus alia non leviora, imò etiam graviora.*

Ut si agendum esset adversus Phyam, mulierem tribus digitis minorem, quàm quatuor cubitorum, cæteroquin formosam: quæ à Philistrato exule, conscia Magacle, ad ornata habitu Minervæ, & Athenas curru invecta, seseque Palladem simulans, dictitârat, tyrannum, quem ejecerant, reduci debere; atque ita rudi populo os subleverat: ut autor est Horodotus lib. 1 *. In causa istiusmodi sic incipere aliquis potuisset *: "Audax mulier jure optimo horrendi possit sacrilegii accusari: quippe quæ Minervæ honores, quam Athaniensium civitas tantopere semper coluit, sibi impiè vindicârit. Verùm enim vero atrox hoc crimen Deorum volo relinquere vindictæ: qui

*Uti & Athenæus, lib. 13.

* Hermogenes de inventione lib. 1. ca. 3.

qui soli pœnas meritis haud minores repetere ab eâ possunt. At mihi satis in præsentia erit, si ea in medium adferam, quæ commisit contra populi majestatem.

Exemplum simile est, "Quanquam non "adulterii minùs quàm furti crimen possim "intentare: non tamen tam durus ero accusator, "quàm vicinus impius fuisti. *Item*, Cùm ma"jora etiam in Socrate possint commendari, ta"men nunc solam ejus patientiam laudabo. Sed frustra hujusmodi exordium inquirit orator, utcunque arte valeat, nisi res ipsa suggesserit.

6 Sect. *Etiam à rei, de qua dicendum, amplificatione ordimur. Cujusmodi est ista.* Sin unquam aliàs nunc de maximo negotio dicendum nobis esse.

Ita Cicero incipit pro domo suâ ad Pontifices. "Cùm multa divinitus, pontifices, à "majoribus nostris inventa, atque instituta sint: "tum nihil præclarius, quàm quòd eosdem, & "religionibus immortalium, & summæ Reip. "præesse voluerunt: ut amplissimi, & carissimi "cives Remp. bene gerendo, religiones sapien"ter interpretando, Remp. conservarent. Quòd "si ullo tempore magna causa in sacerdotum "populi Rom. Judicio ac potestate versata est, "hæc profectò tanta est, ut omnis Reip. digni"tas, omnium civium salus, vita, libertas, aræ, "foci, dii, penates, bona fortunæ, domicilia, "vestræ sapientiæ, fidei, potestatique commissa "creditaque esse videantur. Vobis hodierno "die constituendum est, utrùm posthæc amen"tes, ac perditos magistratus improborum ac

"sceleratorum civium præsidio nudare, an e-
"tiam Deorum immortalium religione arma-
"re malitis. *Simile exemplum sit*, Cùm multa in
"hujus laudem *vel vituperationem*) dici pos-
"sint, familiam tamen ducit illud de quo nunc
"agere propositum est nobis. Vocant aliqui
"exordium ἀπὸ διαιρέσεως *. Atque hæc de
"primo exordii officio, quo docilis redditur.

* A divisione.

7. Sect. *Alterum exordii munus erat, ut auditoris animus, velut medicamentis quibusdam ad benevolentiam, & attentionem, præparetur. Sed hujusmodi prolusio non semper est necessaria. Nam si auditor nos amet, ac suspiciat; neque animus ejus ullâ suspicione sit præoccupatus quid attinet benevolentiam aucupari? Si item libenter audimur, quid opus fuerit laborare, ut attentè audiamur? præsertim in orationis initio ubi omnes auribus maximè arrectis esse solent? Quare prudentis est oratoris dispicere quando res, & tempus, medicamenta ista requirant: ne ſi puerorum more, παίγνια ejusmodi, ubi opus non est, consectemur: auditorem minùs etiam benevolum, atque attentum, reddamus.*

8 Sect. *Quibus argumentis benevolentia paretur, partim in amoris loco ostendimus libro superiori* *: *partim ex iis colligere erit, quæ de locis Exordii in genere juridiciali inferiùs* * *dicemus.*

* cap. 9.
* cap. seq. §. 12. & deinceps.

9 Sect. *Paratur autem benevolentia, vel apertè, vel occultè. Quando apertè hoc agimus,* Ἀρχὴ *sive Principium, vocatur: atque ejusmodi exordium in genere honesto plurimum adhibetur.*

Ut

Ut contra parricidam dicatur.

10 Sect. *Sin idem occultè fiat, vocatur Insinuatio, Græcè* ἐφοδος.

Insinuatio quidem: quia quasi in sinum, hoc est, in pectus, atque animum, clam irrepat; ἐφοδος autem à similitudine clandestini ingressûs, quo urbes capi solent. Tale est initium orationis ejus, quam Cæsar apud Sallustium habet pro conjuratis.

11 Sect. *Habetque istiusmodi exordium præcipuè locum in genere turpi, vel ancipiti, vel* παραδόξῳ *sive admirabili.*

Turpi, ut si pro parricida orandum sit; *ancipiti*, quæ partim honesta, partim turpis, ut causa Orestis, qui matrem interemit, sed ut patris mortem ulciscereturs in *admirabili*, ut si quis laudet paupertatem, exilium, mortem injustitiam, *&c.*

12 Sect. *In honesta causa ferè utimur Principio.*

Uti Cicero facit pro lege Manilia; ubi cùm locum & tempus dicendi ex sententia sibi obtigisse dixisset, ista subiungit. "Atque "illud imprimis mihi lætandum jure esse video, "quòd in hac insolita mihi ex hoc loco rati- "one dicendi, causa talis oblata est, in qua "oratio neminidesse potest. Dicendum est de Cn. Pompeii singulari, eximiaque virtute; huius

orationis difficiliùs est exitum, quam principium invenire.

13. Sect. *At dum demum in hujusmodi causâ Insinuatione est opus, si auditor, vel defessus sit audiendo, vel persuasus ab iis, qui priores dixerunt.*

Nam quid refert, utrùm causa nostra sit honesta, sit audire nos gravetur judex, vel non habeat causam pro honesta.

14 Sect. *Atque horum alterum cùm fit, etiam attentionem parabimus. Idem faciemus in genere turpi & ancipiti, atque etiam humili. Nam quia hoc est de re vili & abjectâ, eò facilè negligitur.*

15 Sect. *Attentio paratur, partim promissione, partim petitione. Promissione quidem, si polliceamur nos dicturos de rebus novis, magnis, utilibus, vel jucundis.*

Hoc, ut Servius, & Victorinus, observant, egregiè præstitit Maro, quando de apibus scripturus, ita cecinit:

Protinus AERII *mellis* COELESTIA *dona*
Exsequar. Et mox:
ADMIRANDA *tibi levium spectacula rerum*
MAGNANIMOSq; *duces totiusq; ordine gentis*
Mores, & studia, & populos, & prælia dicam
In tenui labor: at tenuis non GLORIA.

16 Sect. *Quanquam profectò, si satis pateat, rem esse abjectam, plus efficiet orator verbo commodè*

commodè & ἐνεργητικῶς prolato, quàm si spondeat aureos montes.

Ut Cicero Phillip. VII. "De parvis re-
"bus sed fortasse necessariis, consulimur, P.C.
"de Appia via, & de moneta. Item si acturus
"causam Pauperis, idque in re pusillâ, dicat,
"damnum exiguæ rei non minùs grave esse
"pauperi, quàm diviti rei maximæ. Quo arti-
ficio apud Quintilianum * pauper utitur, di-
vitem accusans, qui veneno per flores pauperis
sparso, apes ejus interemerat. "Unum, *inquit*,
"oro, ne cui minor dignitate vestrâ videatur
"causa litis meæ. Ante omnia non debetis ex-
"spectare ubi pauper magna perdiderim: sed,
quantulum sit, quod abstulerit mihi dives, mi-
nus est, quod reliquit.

*Orat. 13.

17 Sect. *Petitione autem paratur attentio, cùm auditores, attendere ut velint, rogamus.*

Ut apud Cic. pro Sex. Rosc. "Qua-
propter vos oro atque obsecro. Judices, ut
attentè, bonâque cùm veniâ, verba mea au-
diatis.

18. Sect. *Petitur id quidem in media quoque oratione, sed fere in initio orationis sollicitè magis fit.*

Quomodo id facit Tullius in Milonianâ:
"Quamobrem adeste animis, judices, & ti-
"morem, si quem habetis, deponite. Nam si
"unquam de bonis & fortibus viris, si unquam
"de bene meritis civibus, potestas vobis judi-
"candi fuit, si denique unquam &c.

19 Sect. *Genus δυσπαρακολούθητον, sive obscurum, quale est in quo difficulter causam percipit auditor, maximè exigit docilitatem. Quare eum alibi ad docilitatem parandam sufficiat generatim indicâsse, quæ de re agturus sis; quod prius esse Exordii munus supra diximus: hoc in genere etiam distributione opus est; sed quam brevitas commendet; ne dum dociles facere vis auditores, eos magis confundas.*

Verùm de hoc accuratiùs infrà dicemus, in Propositionis doctrinâ.

20 Sect. *Si in Exordio accuratè causam constituerimus, ac diviserimus; propositione postea nihil erit opus.*

Nec obstat, quod superiùs ex Aristotele docebamus, propositionem esse necessariam orationis partem. Neque enim ita hoc accipi debet, quasi semper distinctum sit orationis membrum: sed quia necessarium est, ut quomodocunque proponatur, sive id in Exordio fiat, sive in fine Narrationis, sive seorsum

21 Sect. *Quod si in exordio sufficiat simpliciter assignare scopum orationis, eoque istis benevolentiæ attentionis parandæ medicamentis opus non sit; videndum tunc, an non ordiendi argumentum præbeat causa, vel occasio, quæ nos impulit ad dicendum.*

Hujusmodi exordio utitur Tullius oratione pro C. Rabirio; "Etsi, inquit, non est

meæ

" meæ consuetudinis, initio dicendi rationem " reddere, quâ de causâ quemque defendam; " propterea quòd cum omnibus civibus, in eo- " rum periculis, satis justam mihi causam ne- " cessitudinis esse duxi: tamen in hac defensi- " one capitis, famæ, fortunarum omnium C. " Rabirii proponenda ratio videtur esse officii " mei; propterea quòd, quæ justissima mihi " causa ad hunc defendendum esse visa est, e- " adem vobis ad absolvendum debet videri, *&c.* Est quoque hujus generis exordium, quod sumitur à lege, vel consuetudine: ut in Rullum pro lege Agrariâ; " Est hoc in mo- " re positum, Quirites, institutoque majorum, " ut ii, qui beneficio vestro imagines familiæ " suæ consecuti sunt, eam primam habent con- " cionem, qua gratiam beneficii vestri cum su- " orum laude conjungunt, *&c.* Idem sic Philipicam ultimam incipit à scripturâ: *Si, ut ex literis, quæ recitatæ sunt, P. C. sceleratissimorum hostium exercitum cæsum fusumq; cognovi &c.*

22 Sect. *Locus etiam sæpe initium dicendi suggeret.*

Nam & vilitas ejus generosis animis dicendi aufert voluptatem (unde Scopelianus * a Clazomenis rogatus, ut dicere apud se vellet, respondit, lusciniam non canere in cavea) & contra majestas ejus consternat animum etiam non vulgaris oratoris: ut si dicendum fuisset Babylone in dicasterio regis, non saphiro & auro tantùm conspicuo, sed etiam cœli imaginem cum Diis referente, prout Philostratus illud describit in Apollonii vita lib. 1. c. XVIII.

* Philostratus in vitis Sophist.

CAP. III.

De specialibus Exordiorum locis.

1 Sect. *Aliter verò observat Aristoteles, variare exordiorum locos pro tribus causarum generibus.*

2 Sect. *In genere Demonstrativo sunt loci tres. Primus est à laude, vel vituperatione.*

A laude sic incipit Plinius divinum panegyricum: *Bene ac sapienter, patres conscripti, majores instituerunt, ut rerum agendarum ita dicendi initia precationibus caperentur.* A vituperatione contrà panegyricum suum orditur Isocrates. Quippe reprehendit eos, qui celebritates publicas instituêre, quòd virtutibus corporis præmia statuerint, illis animi non item. Similiter in funebri oratione, Dionis exemplo*, incipere possumus à reprehensione consuetudinis ejus, qua dicere jubentur, quos flere magis conveniret; atque eloquentia abiis exigitur, qubus recens dolor ingenium, ac facundiam omnem eripit.

* Orat. 39.

3 Sect. *Alter locus est à suasione, vel dissuasione.*

Ut si is, quem laudare voles, vir quidem fuerit egregius; sed cui in omni vita placuerit illud vetus, Λάθε βιώσας*, dicere licebit, non eos solum esse laudandos, quorum nota est virtus, sed etiam, quorum est ignota.

* Late in vita, seu latenter vive.

4 Sect.

4 Sect. *Tertius locus assumitur è genere Juridiciali: idque à persona auditoris. Ut si nobis agendum sit de re vel incredibili, vel arduâ, vel pervulgatâ. Tunc enim petimus ut ignoscere velint auditores si quid protulerimus, quod vel parum delectet, vel incredibile videatur.*

5 Sect. *Atque eleganter in hoc genere ab historia, fabula, vel similitudine ordimur: dummodo εὐποδόσει, sive reditioni, de qua mox dicam, commodè adoptemus.*

Ut si laudare Scipionem Africanum velis, sic licebit auspicari: *De Lucio Æmilio legimus, * cùm Jovis Elæi imaginem conspexisset, attonitum aliquantisper hæsisse, exinde in hæc erupisse verba: Solus profectò Phidiæ Jupiter Homerici Jovis * majestatem expressit. Idem ego non vereat affirmare de Scipione Africano, in quo uno divinarum virtutum illustris effigies, effulget. Sed nullius tantum est flumen ingenii, quod oratione diserta virtutes eas condignè possit exponere.*

Neque hæc ordiendi ratio in personis duntaxat, sed etiam in rebus locum habet. Ita laudari volenti castitatem, in hanc sententiam, proœmium se obtulerit.

"Fabulantur poetæ. * Pygmalionem "ex ebore virginem affabrè adeò fecisse, ut "ipse operis sui conceperit amorem, atque "adeò Deam rogârit, ut animam ei inspira"re vellet, quò cum una hac vitam omnem "dulciter transigere posset. Opto, ut simili"ter, dum orationis meæ penicillo formosi"ssimam & castissimam depingo virginem, "ipsam nempè castitatem, amor ejus in me tantus

* Apud Suidam voce Φειδίας. Auctorem verò laudat Polybium; apud quem frustra hodie quæras.

* Phidias expressit Jovem secundum versus Homericos; ut est apud Strabonem lib. 8.

* Ovid. 10. Met. Fab. 8.

"rantus accendatur, ut præ una hac voluptate
"turpes contemnam: neque id sufficit mihi, ut
"medullitus inflammet ego, sed velim, ut idem
"contingat omnibus vobis.

Item à personæ nostræ tenuitate ordiri possumus tali similitudine. "De Antiochenis
* Περὶ ὁρμῆς. "narrat Lucianus,* cùm apud eos pusilli corporis histrio in scenam produsset, quo Hectorem saltaret: dicax ille populus exclamâret
"continuò, Astyanactem se videre; Hectorem
"autem requirere. Multùm ipse etiam vereor ne cùm dignitas argumenti hujus quasi
"Hectora alsquem, hoc est magnum oratorem,
"exigat: magnopere miremini, quod ego vix
"Astyanax aliquis, hoc est tenuis ingenii homuncio, in conspectum vestrum prodire sim
"ausus.

Quod si insinuatione sit opus, ut si inveteratam sententiam eximere animo vellimus: dicemus, "nihil esse difficilius, quàm evellere
"animis opinionem quæ jam invaluerit. Nam
"ut illi, qui ab oculis laborant, ægre lumen
"conspiciunt; in tenebris verò cum voluptate
"versantur; ita eos, qui errorem aliquem, quasi
"cum lacte, imbiberunt, difficulter perpeti cum
"se dedoceri. *Affirmabimus*, simile quid etiam videri in illis, qui alienos fœtus alunt, pro
"suis. Nam si infantes ea scissent, quæ postea
"cognoscunt; nunquam in animum fuisse inducturos, aut pueros tollerent: sed post longi
"temporis educationem enim invitos ea audire, quæ dicuntur, ac sibi etiam vim facere, ut
"ne credant. Vide in hanc sententiam illustre
"exordium orationis ejus, quâ D. Jon Chrysostomus * conatur probare, Iliadem à Græcis
* Orat. 11. non fuisse evulsam.

Et

Et sanè in aliis etiam Dionis exordia valde sunt ἀνθηρὰ, ac luculenta. Subinde tamen, & longiora sunt, & picta magis quàm convenirent; quod Photius etiam observat. Tale est argumentum orationis Olympicæ sive de primâ Dei cognitione, ubi ab exilio recens reversus, in Olympica panegyri ita se ab omnibus cingi ait, quomodo ex vulgari Græcorum opinione noctuam circumstant, & admirantur aves reliquæ, etiam pavo, qui magis, quàm noctua, admirationem meretur. Atque hæc scitè quidem tractat: sed prolixius, & floridiùs, quàm gravi adeò conveniat argumento. Quarè cautè eâ parte imitandus est juventuti. Et hæc de exordiis generis demonstrativè: de quibus etiam Menander scripsit: sed hodie nihil ejus exstat, præterquam de procœmiis hymnorum. * Florida.

6 Sect. *Genus* Deliberativum *in publica quidem causa exordium natura sua olim non requirebat. Nam sciebat antea auditor, qua de re esset consultandum. Incidebant tamen tum quoque tempora, cùm procœmio uti deberet orator: idq; vel propter se, vel adversarium, vel auditores, vel ob ornatum.* * L. 2. C. ult.

7 Sect. *Ac tunc quidem ob ornatum (ut de hoc primùm loquar) exordio uti dicitur cum vix alio fine adhibetur, quàm ne oratio videatur abruptum quid, eóque rude & inconcinnum; quale quod est, minùs allicit, ac demulcet auditorem.*

Vide exordium orationis Manilianæ: quod præcipuè conformatum est ad ornatum, ac dignitatem.

8 Sect. *At propter se exordium adhibit orator, quando*

quando dissolvendum est crimen: ut si ostendat, non debere consilium suum contemni, sive ob ætatem juvenilem, quia necdum sit judicio firmato; sive senilem, quasi jam deliret; sive similem ob causam, ut quòd prudentiâ, aut dignitate, longè minor sit iis, apud quos dicendum est.

Licebit tum hoc, vel simili modo exordiri: *Quanquam non tantùm mihi arrogem, ut existimem, me cum quoquam vestri prudentiâ posse conferri: tamen cum gubernatores etiam à vectoribus quandoque moneantur utiliter; confido, quæ vestra humanitas est, non gravatè vos laturos si de re necessaria nunc pauca verba facero.*

Vel hunc in modum: *Glaucum ajunt * cùm admodum adolescens adjutaret patrem in opere rustico, & vomer fortè excidisset aratro; mallei loco solâ manu usum esse, atque præstino eum loco reddidisse. Hoc robore juvenis perspecto, à patre perductum esse ad Olympiacum certamen: ubi dum sortis, sed novitius pugil, ab adversario premitur vehementiùs acclamâsse parentem, ut ictum inferret, qualem intulisset antea aratro. * Eâque voce, licet ab homine artis ignaro profectâ, tantopere tamen accensam fuisse pugilem hunc, ut adversarium feriret fortiter, ac victoriam mox reportaret. Utinam & ipse, istius instar agricolæ, quandoquidem & olitores interdum opportunè aliqua loquuntur, incitare vos ad rem præstantissimam possem.*

9 Sect. *Propter adversarium utimur exordio, cùm reprehendi his debet, quia turpe aliquid vel noxium suaserit.*

* Suidas in Γλαῦκος.

* Græcè sonat elegantius, παῖς τὴν ἐπ' ἀράτρου, ictum infer qualem aratro. Nam intelligitur πλαγὴν: ut ostendunt quæ Suidas præmisit. Non desũt tamen, qui arbitrentur dixisse παῖ τὴν ἐπ' ἀράτρου, fili illam ab aratro, supple manum admove.

Et

Eo pacto orditur Cicero Philipp. VIII.

" Confusius hesterno die est acta res C.
" Pansa, quàm postulabat institutum consu-
" latus tui: parum mihi visus es eos, quibus
" cedere non soles, sustinere. Nam cùm Se-
" natus ea virtus fuisset, quæ solet; & cum
" re viderent omnes esse bellum; quidámque
" id verbum removendum arbitrarentur: tua
" voluntas in discessione fuit ad lenitatem pro-
" pensior. Victa igitur est propter asperita-
" rem, te auctore, nostra sententia.

20 Sect. *Quanquam non ab auditorum duntaxat reprehensiani orditi licet: sed aliorum etiam, qui aliquid non sunt assecuti, atque etiam alios in errorem induxeruut.*

Ita suasurus, ut scholæ erigantur, vel instaurentur, hoc, vel simili modo, incipere possis: " Memoriæ proditum est, * cives
" Artici olim quæsiyisse ex Apolline, quâ ra-
" tione consequi possent, ut virtute, ac patriis
" legibus, urbs maximè floreret; oraculum au-
" tem consilii illud dedisse, ut, quod omni-
" um pulcherrimum foret, liberorum auribus
" immitterent. Quo cognito, tradunt eos,
" pisse cives, Asiaticorum more, perfundere
" aures puerorum, easque onerare inauribus
" aureis; eò quòd aurum cæteris præstare per-
" suasum haberent. Ego verò, auditores, non
" illud, quod effœminate animos poterat, sed
" quiddam longè excellentius ab oracuto fu-
" isse intellectum planè censeo. Nam quid
" præstabilius est salutaribus virtutis præcep-
" tis? aut qd dignius Deo consilium excogitare
possimus

* Dio Chrysostomus orat. 32. quæ est ad Alexandrinos.

" possimus, quàm ut parentes liberorum su-
" orum auribus virtutem solicitè instillarent?
" vel eos præficerent liberis, à quibus illam à
" pueris haurirent.

11 Sect. *Propter auditores audimur, quando res ab iis major minórve habetur, quàm revera est. Prius si sit, imminutione: sin posterius, amplificatione opus est. Huc pertinet, quando bonæ auditorum parti videtur supervacaneum de aliqua dicere, quia res nota sit.*

Ut si de virtute sit orandum, cujus præstantiam nemo diffitetur. Ordiemur tum à reprehensione " hominum curiosorum, quia subtiliter disputando, quàm pie vivendo, ætatem " transigere malunt. Unde & ea semper in ore " habent, quæ etiam inter doctissimos sunt con- " troversa, illa verò negligunt in vita, quæ a- " pud omnes sunt in confesso. Atqui non suffi- " cit ea nosse quæ recta sunt; quando & illi, " qui ab oculis laborent probè sciunt, manus " iis admovendas non esse & ægri è tamen absti- " nent multi etiam, quos minimè fugit, quan- " tum damnum det incontinentia, non propte- " rea se à voluptatibus avelli patiuntur. Quare " apud tales imitandi sunt medici, qui sæpe ea- " dem inculcant, non quia isthæc ægroti ignó- " rant sed quia negligunt. *Vide in hanc sententiam præclarum exordium Dionis Chrysostomi orat.* XVII. Quod si salubre quidem consilium dare volumus, sed parum jucundum: affirmabimus; *non imitari velle medicos bonos.* Item referemus; *ut olim Ilienses à nobili tragœdo popascerint, sibi veterem urbis suæ fortunam repræsentari, illum autem oriissim eos rogârit: ut ne ea in re molesti: sibi*

esse

esse velint; nam, inquiebat, quanto ego meliùs agero, tanto vobis infeliciores videbimini; ut qui scitis visuri, cujusmodi fortunâ excideritis. Dicemus, *similiter metuere nos, ne quantò in consulendo boni publici erimus amantiores; tanto eos magis offendamus.*

Ab hoc non multum recedit istoc exordium, quale fuit locus apud homines segnes, & socordes: *Sapiens ille è Phrygia* * *refert ut noctua, avis ingratii cantus sed prudentis consilii cæteris suaserit avibus, ne quercum crescere patirentur, unde viscus provenerit, quo caperentur: item, inquit, quum linum sereretur, autor fuit ut semen erutum absumerent: quippe è quo illud nasceretur, unde retia necterentur: ad hæc, cùm quendam sagittis utentem conspexisset, ita locutam, ait; Iste homo vestris vos pennis antevertet, pedes ipse alatas vobis sagittas immittens. Sed surdis concinit: imò eam, tanquam malesanam, aspernabantur. Idem ego hodie metuo, ne mihi contingat apud ple ósque vestri.*

* Dionem vice in Olympico, sive de prima Dei cognitione.

Apud eos autem, qui animo sunt generoso, atque alacri, dicemus, " nos imitari velle bonos " imperatores. Nam ut illi paratissimos etiam " milites ad pugnandum adhortantur; ita nos " hortari illos velle eam ad rem, cujus amore maximè ardeant. *Vide, quæ adduximus lib.* II. *cap.* 23. *Sect.* 10.

Atque ista sufficiat nunc dixisse de exordiis generis deliberativi: quæ non eo animo attulimus, quasi putemus, sufficere juventuti, ut hinc aliquod exordium oratiunculæ appingat; (sunt enim hæc jam à Dione, occupata, etiam indicata à Rhetorum uno alteróque, ac pleráque jam pervulgata) ut ii, qui

qui etiámnum apud Scholasticos exercentur, similia istis apud oratores, atque etiam Sophistis observent, imò & illis gemina excogitent ipsi; quod difficilè non erit, nisi quis planè hospes fuerit in studiis humanitatis.

12. Sect. *In genere judiciali quinque sunt loci: à persona rei, vel nostrâ, vel auditoris, vel adversarii, vel à re ipso.*

13. Sect. *A rei persona benevolentia captatur, si anteactâ vitâ, quantum principii ratio sinit, commendetur, iisque dicatur indignus, qui petitur.*

Vide orationem Ciceronis pro Flacco; item pro Sylla.

14. Sect. *A persona nostra idem fit, si ita sermonem instituamus ut videamur viri boni, ut si pateat nos ex officio ad dicendum venisse, quia cujus causam suscepimus, sanguine sit, vel affinitate nobis conjunctus; vel quibus bene de nobis sanè Resp. meritus fuerit.*

Adi exordium orationis pro Rabirio; item illius ad Quirites post reditum.

15. Sect. *Ac quia sæpius accidit, ut aliquid hic de nobis proferendum sit: sedulò curandum, ut servemus modestiam. Fiet hoc, si extenuemus virtutes, & eloquentiam nostram: ut si dicamus, plus voluisse nos, quam præstitisse; item si bonores, & commoda nostra Deo immortali, tum & judicum ipsorum auxilio, ac gratiæ tribuamus. Expedit quoque*

sic

sic loqui, quasi promamus ea inviti, quæ ad laudem nostram pertinent. Prodest etiam orationem in adversarium convertere, hoc simili ve modo:

Quæ nos Dei, bonorúmque virorum auxiliis effecerimus, cum tuis facinoribus conferantur.

16. Sect. *A judicum persona captatur benevolentia admiscendo eorum laudes. Quod si vel amicia fuerint, vel inimici: affirmabimus, plus apud eos posse æquitatem quàm odium, aut gratiam: ne vel amicorum commodis studeant nimis: vel etiam obsint amicis, stultâ quadam verecundiâ injustè agentes, ne injustè agere videantur.*

A persona judicum incipit Tullius pro domo suâ ad pontifices.

17. Sect. *A persona adversarii captatur eadem, trahendo illum in invidiam, odium, & contentum. Invidiam gignunt opes, gratia, eloquentia: odium concitant libido, fastus, nequitia: in contemptum adducunt generis vilitas, vitæ sordes, inertia, stultitia, & similia.*

Consule Ciceronem initio orat pro Quinctio: item in Vatinium.

18. *Denique etiam benevolentia captatur à re ipsa; id q, extollendo bonitatem causæ nostræ, & adversarii deprimendo.*

Vide

Vide Ciceronis orationem pro Cœlio. Uti & illam, quam habuit pro domo suâ ad Pontif.

19 Sect. *Cæterum minimè existimandum, in una oratione solum ab uno istorum benevolentiam parari. Est enim cùm ab omnibus, vel penè omnibus, id fiat.*

Exemplo esto exordium Milonianæ; uti & orationis pro Deiotaro. Utrúmque planè est lueulentum: imò ex iis vel solis hoc parandæ benevolentiæ artificium satis possit cognosci. Exscribere ea quid attinet, cùm & longiora sint & in omnium manibus versentur?

20 Sect. *Atque exordia variare solent pro tribus causarum generibus. Porrò interdum orator ἀπὸ σκέψεως, sequestimulat ex tempore, & absque multa præmeditatione loqui. ut si incipiat ab re aliqua quam non videatur scire potuisse, cùm pedem domo afferret. Cujusmodi est frequentia eorum, qui convenerunt, & vultus alacritas in omnibus. Item si gaudium testemur, quia eos videmus judicaturos, quos maximè optabimus.*

* ab occasione.

Græci hujusmodi exordium vocant ἀπὸ χαιρῦ * alii *ab affectione* appellant. Tale est pro Cn. Plancio; "Cùm propter egregiam, & "singularem Cn. Plancii, judices, in mea "salute custodienda fidem, tam multos, & "bonos viros ejus honori viderem esse fauto-"res; capiebam animo non mediocrem vo-"luptatem quòd, cujus officium mihi saluti "fuisset, ei meorum temporum memoriam

suffragari

" suffragari videbam. Cùm autem, meos " partim invidos, huic accusationi esse fautu- " ros: eadémque rem adversariam esse in ju- " dicio Cn. Plancio, quæ in petitione fuisset " adjutrix: dolebam, judices, & acerbè fe- " rebam, si hujus salus ob eam ipsam causam " esset infestior, quòd is meam salutem, at- " que vitam suâ benevolentiâ, præsidio custo- " diáque texisset. Nunc autem vester, judi- " ces, conspectus, & confessus iste reficit, " recreat mentem meam, cum intueor, & " contemplor unúmquemque vestrûm. Video " enim hoc in numero neminem, cui mea sa- " lus cara non fuerit: cujus non exstet in me " suum meritum: cui non sim obstrictus me- " moria beneficii sempiterna. Itáque non ex- " timesco, ne Cn. Plancio custodia meæ salutis " apud eos obsit qui meipsum maximè salvum " videre voluerunt.

Hujus quoque generis exordium fuerit, si ante nos dixit vir eloquens quòd non præscieramus fore: eáque occasione auspicemur similem nobis, ac habuit ille, eloquentiam optando. Sane Polemo olim, * cùm Scopeliano, viro dissertissimo in legatione successisset, dicere aggressus Scopeliani sibi Suadam optavit, ac honoratam senem isto compellavit versu quo apud Homerum * Patroclus affatur Achillem:

*Philostratus in Scopeliani vitâ.

*Iliad. xvi.

Δὸς δέ μοι ὤμοιιν τὰ σὰ τεύχεα θώρη χθῆναι.*

* Da avem mihi hoc ut humeros armis tuis armem.

In dialogis verò etiam initium capimus ex amici adventu, vel ex umbrâ arboris, ubi consideatur,

consideatur, aliisque idgenus sexcentis. Ac ejusmodi esse Platonis exordia solent.

CAP. IV.

De Exordii οἰκονομία & vitiis.

Sex. Proximum est, ut exponamus quoque œconomiam sive structuram exordiorum: quæ istiusmodi esse solet. Primo loco ponenda est πρόθεσις, quæ viam munit sequentibus. Hinc ratio ejus, quæ κατασκευὴ vocatur. Tum ἀξίωσις sive ἀπόδοσις, quæ nova est propositio rem imprimis tangens. Hinc Cæsus sive fundamentum, quòd ἀπόδοσιν & causam adducit, remque omnem planiùs exponit.

Exemplum illustre habemus in oratione pro lege Manilia, ubi πρόθεσις est ista. "Quanquam mihi semper frequens conspectus vester multò jucundissimus hic autem locus ad agendum amplissimus, ad dicendum ornatissimus esset visus: Quirites, tamen hoc aditu laudis, qui semper optimo cuique maximè patuit, non mea voluntas, sed meæ vitæ rationes ab ineunte ætate susceptæ, prohibuerunt.

Sequitur κατασκευὴ, sive ratio: "Nam cum antea per ætatem nondum hujus auctoritatem loci contingere auderem; statuerémque, nihil huc, nisi perfectum ingenio, elaboratum industriâ, adferri oportere; omne meum tempus amicorum temporibus transmittendum putavi. Ita neque hic locus vacuus unquam ab iis, qui vestram causam

"ſam defenderent, & meus labor in privato-
"rum periculis caſtè integróque verſatus, ex
"veſtro judicio fructum eſt ampliſſimum con-
"ſecutus. Nam cùm propter dilationem comi-
"tiorum ter prætor primus centuriis cunctis
"renuntiatus ſum, facile intellexi, Quirites,
quid de me judicaretis, & quid aliis præſcri-
beretis.

Hinc incipit ἀπόδοσις. "Nunc cum
"& autoritatis in me tantum ſit, quantum vos
"honoribus mandatum eſſe voluiſtis, & ad
"agendum facultatis tantum quantum homini
"vigilanti, ex forenſi uſu, prope quotidiana
"dicendi exercitatio potuit afferre; certè &
"ſiquid etiam dicendo conſequi poſſum, iis o-
"ſtendam potiſſimum, qui ei quoque rei fru-
"ctum ſuo judicio tribuendum eſſe conſue-
"runt.

Βάσις verò iſtis continetur verbis: "At-
"que illud in primis mihi lætandum jure eſſe
"video, quòd in hac inſolita mihi ex hoc loco
"ratione dicendi, cauſæ talis oblata eſt, in qua
"oratio nemini deeſſe poteſt.

Dicendùm eſt enim de Cn. Pompeii ſin-
gulari eximiáque virtute; hujus autem oratio-
nis difficilius eſt exitum, quam principium
invenire. Itáque non mihi tam copia, quàm
modus in dicendo, quærendus eſt.

Similis eſt ratio orationis Milonianæ. Sed
ne longior ſim pauca ſolùm inde excerpam.

In eâ πρότασις eſt, *Non poſſum non timere,*
judices, viſa hac nova judicii forma.

Κατασκευὴ eſt, *Nec enim ea corona conceſſus*
melior civibus eſt, qua ſolebat.

Ἀπόδοσις

Ἀνόδιος est, *Sed me recreat Pompeii consilium, cujus sapientiæ non fuerit, quem sententiis judicium tradidit, telis militum dedere.*

Βοᾶτις est, *Quamobrem adeste animis, judices, & timorem, si quem habetis, deponite.*

2 Sect. *Sunt interim exordia non paucæ, in quibus omittatur pars aliqua; aut etiam aliæ partes istæ ordine collocentur, vel planè alia fit exordii facies. Quod quando fieri oporteat, non tam præceptis tradi potest, quàm prudentis est dispicere oratoris.*

Itaque meritò eos, ridet Fabius, qui velut legem omnibus dedêre proœmiis, ut intra quatuor sensus terminentur.

3 Sect. *Extremo loco aliquid addamus de vitiis exordiorum. Vitiosa autem sunt proœmia longa, quæ tollunt orationis voluptatem & eum præparare debeant ad dictionem reliquam, potius fatigant auditorem. Modus verò pro causa statui debet. Brevis exordium causæ simplices; longius requirunt perplexa, suspectæ & infames.*

4 Sect. *Vitiosa, etiam sint exordia vulgaria quæ pluribus accommodantur causis.*

Undè gladio comparantur Delphico, qui ad hunc modum factus fuit, ut eodem, & sacras mactarent victimas, & supplicio afficerent nocentes.

5 Sect. *Item communia, hoc est, quæ adversæ etiam parti convenirent.*

6 Sect.

6 Sect. *Adhæc*: commutabilia, *quæ paucis commutatis, ab adversario possunt usurpari.*

7 Sect. *Item judicandum de exordiis separatis, qui nihil ad causam pertinent:*

Unde similiter se habent, ac

*Humano * capiti cervicem pictor equinam*
Jungere si velit. Hor. in Arte.

8 Sect. *In genere tamen demonstrativo, atque in quæstionibus infinitis, quandoque iis uti licet.*

9 Sect. *Etiam improbantur, quæ nimis sunt magnifica: uti & quæ tumida sunt atque arrogantia.*

Prudenter hoc de vitii genere præcipit Horatius epistolâ ad Pisones:

Non sic incipies, ut scriptor cyclicus olim,
" *Fortunam Priami cantabo, & nobile bellum.*
Quid dignum tanto feret hic promissor hiatu?
Parturiunt montes, nascetur ridiculus mus.

10 Sect. *Denique videndum, ne sint contra fines exordiorum: ut si, ubi attentione opus, benevolentiam parent, aut contra, vel si nec benevolum, nec docilem, nec attentum reddant auditorem.*

De Exordio satis.

CAP. V.

De Narratione.

1 Sect. Nunc *videamus de Narratione, quæ rem geſtam, uti geſta eſt, à principio ad finem uſq; exponit.*

Græci Διήγησιν apellant.

2 Sect. *Hanc interdum antecedit Narrationis quoddam præludium: cùm nempe rei geſtæ ſummam exponimus ante juſtam ac plenam narrationem.*

Græcis dicitur προδιήγησις quaſi dicas præcedens expoſitio. Exemplum ejus habemus oratione pro Roſcio Amerino: " Forſitan, *inquit*, quæratis, qui iſte terror ſit, & " quæ tanta formido, quæ tot, ac tales viros, " impediat, quò minus pro capite & fortunis " alterius, quemadmodum conſueverunt, cauſã " velint dicere; quod adhuc vos ignorare non " mirum eſt, propterea quòd conſultò ab accu- " ſatoribus, ejus rei, quæ conflavit hoc judici- " um, mentio facta non eſt. Quæ res ea eſt? " Bona patris hujuſce Scx. Roſcii, quæ ſunt ſexagies: & quæ ſequuntur, uſque ad illa verba: " Atque ut faciliùs intelligere poſſitis, ea quæ " facta ſunt, indigniora eſſe, quàm hæc, quæ " diximus, res quemadmodum geſta ſit, vobis " exponemus.

3 Sect. *Rarò autem hæc præviâ narratione utendum,*

dum, cùm ſæpius iterata tædium ſoleant adferre. Nempe tum demum illi eſt locus, cùm metuimus, ne illico cauſam noſtram damnet auditor: ac propterea narratiuncula tali injicienda eſt qualiſcunque ſuſpicio æquitatis.

4 Sect. *De juſta narratione quatuor hæc explicabimus: an ea ſemper requiratur, quæ ejus ſint ſpecies, quæ partes, quæ virtutes.*

5 Sect. *De primo ita ſtatuendum, ſæpe illam locum non habere. Nam quæ narratio ſit, ſi quæratur,* num pubertas judicetur annis potiùs quàm habitu corporis? fraterne ex inteſtato ſit hæres, an pater? "Quorſum "etiam adhibeatur illa, ſi eodem referremus "modo, quo adverſarius? aut ſi judicibus "res ſit notiſſima?

6 Sect. *Dividitur, autem hunc in modum: Narratio omnis vel cauſæ propria eſt, cujuſmodi eſt ſedes argumentorum, & cauſæ ſeminarium: vel eſt acceſſita, qualis ſervit quidem cauſæ, non tamen ex natura ejus reſultat.*

Prioris generis eſt narratio orationis Milonianæ: poſterioris verò illa de raptu Proſerpinæ in Verrinis.

7 Sect. *Narratio prioris generis dividitur in continuam, & interciſam.*

Continuæ exemplum eſt apud Tullium in Ligarianâ: "Quintus Ligarius *inquit*, cùm "eſſet adhuc nulla belli ſuſpicio, legatus in "Africam cum Proconſule C. Conſidio pro"fectus eſt; qua in legatione, & civibus, & ſo-

" ciis, ità se probavit, ut decedens Considius " provinciâ satisfacere homin.bus non posset, " si quemquam alium provinciæ præfecisset. " Itaque Q. Ligarius, cùm diu recusans nihil " profeciſſet, provinciam accipit invitus: cui " sic profuit in pace, ut & civ.bus, & sociis, " gratissima esset ejus integritas, & fides: Bel- " lum subitò exarsit: quod, qui erant in Afri- " ca, antè audierunt geri, quam paratum: quo au- " dito, partim cupiditate inconsiderata, partim " cæco quodam timore, primò salutis causa, " pòst etiam studii sui, quærebant aliquem " ducem. Tum Ligarius domum spectans, & " ad suos redire cupiens, nullo se implicari ne- " gotio passus est. Interim P. Actius Varus, " qui prætor Africam obtinuerat, Uticam ve- " nit. Ad eum statim concursum est. Atque ille " non mediocri cupiditate arripuit imperium: " si illud imperium esse potuit, quod ad pri- " vatum clamore multitudinis imperitæ, " nullo publico consilio deferebatur. Itaque " Ligarius, qui omne tale consilium cuperet " effugere, paulum adventu Vari conquievit.

Ejusdem generis est narratio hæc in Manilianâ: " Atque ut inde oratio mea pro- " ficiscatur, unde hæc omnis causa ducitur; bel- " lum grave & periculosum vestris vectigali- " bus, atque sociis, à duobus potentissimis regi- " bus infertur, Mithridate, & Tigrane: " quorum alter relictus, alter lacessitus, ora- " tionem sibi ad occupandam Asiam oblatam " esse arbitratur. Equitibus Romanis honestiſ- " simis viris, adferuntur ex Asia quotidiè li- " teræ, quorum magnæ res aguntur; in vestris " vectigalibus exercendis occupatæ: qui ad

me

"me pro necessitudine, quæ mihi est cum il-
"lo ordine, causam reip. periculáque rerum
"suarum detulerunt; Bythiniæ, quæ nunc no-
"stra provincia est, vicos exultos esse complures; regnum Ariobarzanis, quod finitimum est
"vestris vectigalibus, totum esse in hostium
"potestate; Lucullum magnis rebus gestis ab
"eo bello discedere; huic qui succurrerit, non
"satis esse paratum ad tantum bellum admi-
"nistrandum; unum ab omnibus sociis, &
"civibus, ad id bellum imperatorem deposci
"atque expeti; eundem hunc unum ab hostibus
"metui, præterea neminem.

At narrationem intercîdit Cicero oratione pro A. Cluentio. Ejus initium est; *A. Cluentius Avitus fuit pater hujus*, &c. cum postea longiusculam retulisset narrationem de Cluentii matre, ista interserit; "O mulieris scelus in-
"credibile, &, præter hanc unam, in omni vita
"inauditum! ô libidinem effrænatam, & in-
"domitam! ô audaciam singularem! non timu-
"isse, si minus vim deorum, hominumq; famã,
"at illam ipsam noctem, facesq; illas nuptiales,
"non limen cubiculi? non cubile filiæ? non
"parietes denique ipsos, superiorum testes nup-
"tiarum, perfregit ac prostravit omnia cupidi-
"tate, ac furore, vicit pudorem libido, timorem
"audacia, rationem amentia. *Hinc reliquam na-*
"*rationem pertexit*. Tulit hoc commune dede-
"cus jam familiæ, cognationis, nominis graviter filius; & quæ sequuntur.

8 Sect. *Utimur narratione intercisâ in genere demonstrativo, sed talis ad confirmationem pertinet, quia omnis ibi causa è rebus gestis stabilitur, ita ut confirmatio eo in ge-*

nere vix aliud fit, quàm narratio quædam per amplificationes, atque exaggerationes interrupta.

9 Sect. *Habet & locum in causa juridiciali idque cùm res gestæ nobis obsunt. Tunc enim satius est rem per partes exponere, ut singulis quæ objici possunt, per partes quoque respondeatur.*

10 Sect. *Item eam usurpamus, si res singulæ invidiam adferant adversario. Nam singulis tum partibus immorando consequimur, ut sæpius adversario iracatur judex.*

11 Sect. *Quando nihil est horum, continuâ narratione uti expedit. Et hæc de narrationis speciebus.*

12 Sect. *Habet verò narratio quoque partes suas. Nam qui simpliciter Clodium Miloni insidias struxisse, sed ab eo interemptum esse, ait; is quidem omnia dicit; sed nuntiat potiùs, quam narrat. Vera autem propriéq; dicta narratio refert rei gestæ principium, medium, finem: item quæ principium rei antecedant, ut sunt causæ; quæque finem sunt consecuta, ut effectus.*

Illustrius ejus rei exemplum habemus in Miloniana. Principium rei gestæ, & insidiarum, fuit in profectione Clodii. Medium erat occursus, & conflictus cum Milone. Finis, mors Clodii. Post finem quid secutum sit, non refert Tullius; sed tantummodo exponuntur ab eo quæ rem antecedunt; ut sunt causæ, dicta, facta. Causa est, quod Milo consulatum eo tempore petebat contra Clodium. Facta, ut servorum deductio ex Apenni-

no

no in urbem. Dicta, ut quòd Clodius retulerat, consulatum Miloni eripi non posse, vitam posse. Item, non diu victurum Milonem. Atque hæc eâdem narratione cernere est in illis, quæ rem gestam præcedunt. Nam principium est, quòd Clodius relictâ Præturæ petitione sui anni, contulerit se ad annum proximum. Medium, quod competitores Milonis juverit operâ suâ. Finis, quòd Milonem decreverit occidere. Secuta sunt hæc duo, ut servos adduceret ex Appennino, & diceret, occidi posse Milonem; quemadmodum antè retulimus.

Hinc est, quod Rhetores in narratione jubeant septem illa considerare, personam, tum principalem, tum sociam, factum, causam, modum, locum, tempus, quæ vulgari hoc versiculo continentur.

Quis, quid, ubi, quibus auxiliis, cur quomodo, quando.

Porro ad personam quoque pertinet ejus descriptio: item sub facto continetur non factum, & causa, cur quid non fecerit: item λογισμὸς. Et ista quidem sufficiat hoc loco dixisse de partibus narrationis. Plenius verò ea excutiuntur in Progymnasmatis. Superest videamus de virtutibus narrationis: de quibus postremo me loco dicturum receperam.

13 Sect. *Prima narrationis virtus est, ut sit perspicua. Id consequimur, tum verbis usitatis, & fuga hyperbatorum; tum ordine distinctéque*

que narrando, omnibus usque iis, quæ rem ob oculos ponunt, & ὑποτύπωσιν gignunt. Quod si res obscurior sit, inprimis fugienda erit obliquitas, potiusque per rectum progredimur casum, & verba indicativi modi.

14 Sect. *Altera est narrationis virtus, ut sit verisimilis. Talis erit, si omnia personis, locis, temporibus, causis, consentiant.*

Ita verisimile est à temerario patratam cædem; à libidinoso adulterium.

15 Sect. *Quod siquidem minùs videatur probabile, affirmabimus, ut minùs verisimile videatur, verum tamen esse; & quanto magis causa, ac modus facinoris lateant, tanto majus esse habendum scelus. Fuerit quoque potest relatione, ut quòd sic vulgò dicant.*

16 Sect. *Tertia est virtus, ut sit suavis: quod consequimur, si quæ narramus, sint magna, nova, inexspectata. Suavitatem quoque gignunt mores, dolores, metus; modò sine dicentis perturbatione proferantur. Alioqui enim amplificatio fuerit potius, quam narratio.*

Jucundæ narrationis exemplum præbet Heliodorus in Æthiopicis. Sed in tanta rerum varietate, effugere non potuit, quin sæpe sit affectatus.

17 Sect. *Addunt quidam quartam narrationis virtutem ut sit brevis. Talis erit, in qua, cùm nihil desit, nihil tamen possit adimi.*

Peccant ea in re, qui ab ovo Ledæo ordiuntur

untur omnia; eoque etiam narrant, quæ ex sequentibus satis cognoscuntur. Nam quid opus dicere, *concepisse fœminam*, si dicas *peperisse*?

18 Sect: *Post narrationem sæpe, velut spiritu erumpente, digredimur. Non tamen digressio, vel solam sequitur narrationem, vel semper; sed si opportunè aptáque fiat, plurimùm illustrat orationem.*

Quomodo verò instituatur in Schematologia dicturi sumus.

CAP. VI.

DE PROPOSITIONE.

1 Sect. *Post digressionem, siqua sit: sin minùs post narrationem; aut, hæc quoque si absit, post exordium sequitur propositio. Hac proponitur summa totius orationis.*

Ac orationem habituro primò illa animo debet obversari; quia prout ea erit, vel hæc, vel alia, & argumenta, & ornamenta adhibentur. Hinc Isocrates Epistolâ VI. quæ est ad Jasonis liberos; Ἔιθισμαι λέγειν πρὸς τοὺς περὶ τὴν φιλοσοφίαν τὴν ἡμετέραν διατρίβοντας, ὅτι τοῦτο πρῶτον δεῖ σκέψασθαι, τὶ τῷ λόγῳ καὶ τοῖς μέρεσι τοῦ λόγου διαπρακτέον ἐστὶν: ἐπειδὰν δὲ τοῦθ' εὕρωμεν, καὶ διακριβωσώμεθα, ζητητέον εἶναι φημι τὰς ἰδέας, δι' ὧν ταῦτα ἐξεργασθήσεται, καὶ λήψεται τέλος, ὅπερ ὑπεθέμεθα. *Consuevi disciplinæ nostræ sectatori-*

bus dicere, ante omnia iis considerandum esse, quid oratione, & partibus ejus efficiendum sit: postquam id verò repererimus & colligerimus accuratè, quærendas esse aio orationis ideas, sive argumenta, & ornamenta, quibus id quod primarium est conficimus, finemq; adipiscimur, quem nobis proposuimus.

2 Sect. *Est autem propositio triplex, sejuncta, simplex, & digesta.*

3 Sect. *Propositio sejuncta, sive per sejunctionem vocatur, cùm definitur, in quo conveniat cum adversario, & quid in controversia relinquatur.*

Ut pro Milone; *Sin autem nemo vestrum ita sentit; illud in judicium venit, non occisus, ne sit, quod fatemur; sed juréne, an injuriâ, quod multis antea in causis quæsitum est.*

4 Sect. *Propositio simplex est, in qua unum aliquid proponitur.*

Ut in eadem orat. *Nunc quid igitur aliud in judicium venit, nisi uter utri insidias fecerit?*

5 Sect. *Propositio digesta, sive per enumerationem fit, cum quot, & quibus de rebus, dicturi simus ostendimus. Hæc* Partitio *appellatur.*

Ut Phillip. VII. *Cur pacem nolo? quia turpis est, quia periculosa, quia esse non potest. Quæ tria dum explico, peto à vobis, P. C. ut eâdem benignitate, quâ soletis, verba mea audiatis.*

Luculenta

Luculenta quoque est illa pro P. Quinctio: *Faciam quod te sæpe animadverti facere, Hortensi; totam causæ meæ dictionem certas in partes dividam. Tu id semper facis, quia semper potes; ego in hac causa faciam, propterea quòd in hac videor posse facere. Quod tibi natura dat, ut semper possis, id mihi causa dat, ut hodie possim. Certòs mihi fines terminosque constituam, extra quos egredi non possim si maximè velim; ut & mihi sit propositum, de quo dicam; & Hortensius habeat exposita, ad quæ respondeat; & tu, C. Aquili, jam antè animo prospicere possis, quibus de rebus auditurus sis. Negamus, te bona P. Quinctii, Sexte Nævi, possedisse ex edicto prætoris. In eo sponsio facta est. Ostendam primum causam non fuisse, cur à prætore postulares, ut bona P. Quinctii possideres; deinde, ex edicto te possidere non potuisse, postremò non possedisse. Quæso, C. Aquilli, vósque qui estis in concilio, ut, quod pollicitus sim, diligenter memoriæ mandetis; etenim rem facilius totam accipietis si hæc memineritis; & me facilè vestrâ existimatione revocabitis, si extra hos cancellos egredi conabor, quos mihi ipse circumdedi. Nego fuisse causam, cur postularet; nego ex edicto possidere potuisse; nego possedisse, hæc tria cùm docuero, perorabo.*

6 Sect. *Partitio verò institui ferè solet, ut Græci loquuntur διαιρετικῶς.* * Dubitative.

Ut pro lege Manilia; *Primum mihi* videtur *de genere belli, deinde de magnitudine, tum de imperatore diligendo, eße dicendum.* Item pro Roscio. *Tres sunt res, de quibus me dicere arbitror oportere.*

7 Sect.

7 Sect. *Sed hoc imprimis locum habet, quando ipsi priores dicimus. Nam cùm ad argumenta adversarii respondendum est, certa magis partitio probatur, quàm incerta.*

Ut pro Muræna: *Intelligo, judices, tres totius accusationis partes fuisse: & earum unum in reprehensione vitæ, alteram in contentione dignitatis, tertiam in criminibus ambitus fuisse versatam.* Similiter orat. pro Quinctio, cujus verba jam adduxi.

8 Sect. *Etsi autem interpretibus, artiumque professoribus, concessa est divisio in minutissimas partes: damnatur tamen in oratore, si, quæ natura singularia sint, secare velit.*

Quippe ea res, ut subtilioribus ingeniis lucem, ita populo, & ineruditis, (quales maximam partem esse illi solent, apud quos dicendum) potiùs parit obscuritatem: contra quam partitio inventa est.

9 Sect. *Quare in totum partitione abstinendum, nisi causa vel multiplex sit, vel obscura: & quando eâ utendum est, cum perspicua, tum etiam brevis esse debet; hoc est, non major, quàm trium, vel ad summum quatuor partium.*

De propositione hactenus.

CAP.

CAP. VII.

De Confirmatione.

1 Sect. Deventum *nunc ad contentionem quam Aristoteles* πίστιν * *appellat. Hæc quasi viscera vitámque orationis continet.* * Fidem.

2 Sect. *Estque partim* κατασκευαστικὴ, *cum sententiam nostram probamus argumentis: partim* ἐλεγκτικὴ, *cùm adversarii opinionem argumentis convellimus: partim* ἀνασκευαστικὴ, *cum ad argumenta ejusdem respondemus. Prima pars propriè dicitur confirmatio: secunda, tertiáq; refutationis nomine continentur.*

3 Sect. *Ut plurimùm autem, qui prior dicit, prius & suam sententiam probat, & alienam impugnat: posterius respondet iis, quæ objici possunt. At qui posterius dicit, ferè prius solvit alterius partis argumenta; ac postea suam sententiam confirmat.*

4 Sect. *In confirmatione duo spectantur, argumentum, & argumentatio; quæ differunt, ut pars, & totum. Nam argumentum sola ratio est; at argumintatio præter argumentum etiam conclusionem comprehendit.*

5 Sect. *Quod ad ordinem argumentorum, firmiora partim in principio collocanda, quia tum maximè attendit auditor: partim in fine, quia, quæ postremò dicuntur, maximè inhærent. Imbeciliora verò collocanda sunt in medio, ubi magis latebit eorum infirmitas. At si causa duobus tantum argumentis nitatur, quorum unum fortius, alterum infirmius sit, tum imbecillius quidem subjiciemus validiori, sed mox ad validius recurremus.*

6 Sect.

6 Sect. *Argumentationes præcipuæ ſunt Syllogiſmus, Enthymema, Inductio, & exemplum.*

7 Sect. *Syllogiſmus eſt oratio tribus conſtans pronunciatis, quorum poſtremum è duobus prioribus conſequitur. Primum enunciatum* propoſitio major, *vel ſimpliciter* propoſitio, *aut* major *vocatur. Alterum dicetur* propoſitio minor, *vel ſimpliciter* minor, *aut* aſſumptio. *Tertium eſt* complexio, *ſive* concluſio. *Sed orator plurimum naturalem hunc partium ordinem immutat, ita ut interdum aſſumptio primum obtineat locum: imò nonnunquam etiam contrario planè ordine à concluſione per aſſumptionem ad propoſitionem aſcendit.*

8 Sect. *Neque in ordine ſolùm differunt ſæpe ſyllogiſmus dialecticus, & oratorius: ſed etiam numero pronunciatorum. Nam orator non raro apponit, & majoris, & minoris probationem, ita ut fiat ſyllogiſmus quinque partitus: cujus prima pars ſit propoſitio, altera propoſitionis ratio, tertia aſſumptio, quarta ejus probatio, poſtrema concluſio. Quod ſi alterutra propoſitio fuerit perſpicua, ratio ejus omittitur, ita ut ſyllogiſmus ſit quadripartitus.*

Exemplis hæc planiora fient. A concluſione ad præmiſſas accedit Tullius pro Milone, cum ait: "Quonam igitur pacto probari poteſt, inſidias Miloni feciſſe Clodium? Satis eſt quidem in illa tam audaci, tam nefariâ belluâ, docere, magnam ei cauſam, magnam ſpem in Milonis morte propoſitam, magnas utilitates fuiſſe; Itáque illud Caſſianam

" sianam, *cui bono fuerit*, in his personis vale.
" at: etsi boni nullo emolumento impellun-
" tur in fraudem, improbi sæpe parvo. Atqui,
" Milone interfecto, Clodius hoc assequeba-
" tur, non modò ut Prætor esset, non
" eo consule, quo sceleris nihil facere
" posset: sed etiam, ut his consulibus
" prætor esset, quibus, si non adjuvantibus,
" at conniventibus certè, speraſſet, se posse
" Remp. eludere in illis suis cogitatis furori-
" bus: cujus illi conatus, ut ille ratiocina-
" batur, nec, si cuperent, reprimere possent,
" cùm tantum beneficium ei se debere arbi-
" trarentur: & si vellent, fortasse vix possent
" frangere hominis sceleratissimi corrobora-
" tam jam vetustate audaciam. Incepit Tul-
lius à complexione hæc: Clodius insidias fe-
cit Miloni. Huic subiecit propositionem: Is
enim fecit, cui profuit mors alterius. Quod
Cassii dicto confirmat. Desinit verò in as-
sumptione: Atqui Clodio proderat mors Mi-
lonis. Quod eo comprobat quia mortuo Milone
eos habiturus erat consules, quibus conniven-
tibus, vel etiam juvartibus, turbare in præturâ
sua posset Rempub.

Atque, ut hîc finit in assumptione, & eius probatione: ita pro Cælio desinit in propo-
sitione, & eius ratione. Nam iustus ac na-
turalis syllogismi ordo huiusmodi foret: Non
est verisimile, eum, qui studiis bonarum ar-
rium est addictus, vivere luxurioſe. Atqui
Cælius bonarum artium studiis est addictus.
Sed Cicero priùs ostendit, Cælium honestis
artium studiis vacare: hinc probat, in isto ho-
minum genere non facilè luxuriem inveniri.
Audiamus ipsum Ciceronem; " At verò in

" Marco Cælio (dicam jam confidentiùs de " ſtudiis ejus honeſtis, quoniam audeo quæ- " dam, fretus veſtrâ ſapientiâ, liberè confiteri) " nulla luxuries reperietur, nulli ſumptus, nul- " lum æs alienum, nulla conviviorum ac lu- " ſtrorum libido; quod quidem vitium ventris, " & gutturis, non modò non minuit ætas ho- " minibus, ſed etiam auget. Amores autem, " & hæ deliciæ quæ vocantur, quæ firmiore a- " nimo præditis diutius moleſtæ non ſolent " eſſe (maturè enim, & celeriter defloref- " cunt) nunquam hunc occupatum, impe- " ditúmque tenuerunt. Hæc ſic paucis com- prehendas; Cælius optimarum artium ſtudiis, vacat. Quod ita eſſe deinceps probat ab effectis; " Audiſtis, cum pro ſe diceret; audi- " ſtis antea, cum accuſaret; (defendendi " hæc cauſâ, non gloriandi loquor) genus " orationis; facultatem, copiam ſententiarum, " atque verborum, quæ veſtra prudentia eſt, " perſpexiſtis. Atque in eo non ſolùm inge- " nium elucere ejus videbatis; quod ſæpe eti- " am ſi induſtriâ non alitur, valet tamen ipſum " ſuis viribus; ſed inerat, niſi me propter bene- " volentiam fortè fallebat, oratio & bonis " artibus inſtituta, & curâ, & vigiliis elabo- rata. Et talis eſt aſſumptionis probatio. Propoſitio autem hujuſmodi eſt: Parùm eſt veriſimile eum luxurioſè vivere; qui bonarum ſe artium ſtudiis addixit. Quam deinceps ſubjicit Tullius! " Atque ſcitote, Judices, eas " cupiditates, quæ objiciuntur Cælio, atque " hæc ſtudia, de quibus diſputo, non facilè in eodem homine eſſe poſſe. Hanc propoſitionem confirmat argumento ex impoſſibili dicto.

" Fieri

" Fieri enim non potest, ut animus libidini " deditus, amore, desiderio, cupiditate, sæpe " nimiâ copia, inopiâ etiam nonnunquam " impeditus, hoc quicquid est, quod nos faci- " mus in dicendo, non modo agendo, ve- " rùm etiam cogitando, possit sustinere. Quod ipsum deinde adstruit è raritate oratorum.

" An, *inquit*, vos aliam causam esse ul- " lam putatis, cur in tantis præmiis eloquen- " tiæ, tam à voluptate dicendi, tanta laude, " tanta gloria, tanto honore; tam sint pauci, " sempérque fuerint, qui in hoc labore versen- " tur? Omittendæ sunt omnes voluptates: " relinquenda studia delectationis: ludus, jo- " cus, convivium, sermo etiam penè omnium " familiarium deserendus.

Atque hæc satis ostendunt, non tantùm, ut oratores naturalem in syllogismo partium ordinem immutent, atque adeò planè invertant, sed etiam, ut syllogismus iis interdum sit quinque partitus. Quanquam profecto, accuratè loquendo, nullus syllogismus plura habet pronunciata, quàm tria; sed si propositioni, & assumptioni probationes addantur; fit syllogismus integer cum duobus enthymematis. Atque hæc de syllogismo.

9 Sect. Enthymema *est mutilus syllogismus: hoc est, in quo, vel major, vel minor propositio, omittatur, tanquam manifesta: cujusmodi si ponat orator, videbitur diffidere prudentiæ auditorum.*

10 Sect.

10 Sect. *Optima autem sunt enthymemata ex contrariis: quæ idcirco sola à quibusdam: enthymemata appellantur.*

Hujusmodi est apud Sallustium illud Micipsæ ad Jugurtham: *Quem alienum fidum invenies, si tuis hostis fueris.*

11 Sect. *Porro & in hujusmodi, & in alio quovis enthymemate, sæpe præmittitur conclusio antecedenti. Imò qua ratione syllogismus statuitur quadripartitus, vel quinque partitus: eadem & enthymema tripartitum esse potest: puta, quando antecedenti sua ratio adjicitur.*

Verùm hoc quoque pinguiori dicitur Minervâ: cùm propriè, quod enthymema vocatur tripartitum, nihil aliud sit quàm geminum enthymema. Nempe idem pronuntiatum est unius quidem enthymematis antecedens, alterius verò conclusio.

12 Sect. Inductio *Rhetoribus nominatur, cùm quid ex pluribus rebus propter similitudinem infertur.*

Græcè ἐπαγωγὴ vocatur.

13 Sect. *Constat perfecta inductio partibus tribus. Prima est similium enumeratio.*

ut, domus ea melius administratur, in qua sapiens est pater materq; familias: exercitus melius regitur, cui sapiens præest imperator: navis ea tutius feliciúsque cursum conficit, quæ peritum

peritum habet gubernatorem.

14 Sect. *Altera pars est conclusio.*

Ut, quare stulti sunt, qui sapientes, ac diu in regenda Rep. versatos, ab ejus administratione repelluat.

15 Sect. *Tertio est ἀξίωσις, quæ conclusionem ex similibus consequi probat comparatione majoris, minoris, æqualis vel contrarii.*

Ut, *Non enim periculosa minùs, minúsve dificilis est Reip. administratio, quàm domûs, belli, aut navigii.*

16 Sect. Exemplum *est inductio imperfecta: cùm nempe unum ex altero colligitur ob similitudinem quæ in utroque reperitur.*

Ita Cicero probat, Clodium, hominem seditiosum, à Milone jure interfici potuisse, quia Scipio Nasica Tiberium Gracchum, itidem seditiosum, jure interemerit. Græcè παράδειγμα appellatur.

17 Sect. *Et hæc de argumentatione, quatenus ad probandum instituitur. At quà ea adhibetur ad ciendum affectum, aliud nomen obtinet; nam dicitur* Amplificatio.

Nec tamen eo nomine intelligitur hoc loco quævis ratio augendæ orationis; sed ea tantummodo, quæ in rei exaggeratione consistit.

Quibus

Quibus verò modis aliquid exageretur, dicemus in ſchematibus διανοίας.

CAP. VIII.

De Confutatione.

1 Sect. Confutatio *diluit argumenta adverſarii: idq; bifariam. Interdum enim ſi ſolvere non poſſimus, ſyllogiſmum ſyllogiſmo opponimus; quod* ἀντισυλλογισμὸς *vocatur. Interdum ad argumentum ipſum reſpondemus, quod* ἔνστασιν *appellant.*

*Cap. 7. Sect. Hoc eſt, quod antea * diximus, confutationem eſſe, vel* ἐλεγχτικὴν, *vel* ἀποδεικτικὴν.

2 Sect. Ἔνστασις *vel fit inficiando, quod ad probandum adfertur; vel negando conſequi, quod ex eo colligit adverſarius.*

3 Sect. *Ad priorem* ἐνστάσεως *modum refer, cum vel falſa ſumuntur pro veris, vel dubia pro certis.*

Ut, ſiqua beneficio dicatur filiam ſuſtuliſſe, quod amoribus ſuis obſtaret; tueatúrque ſe eo, quòd omnis mater diligat liberos; opponentur ei Medea, & aliæ.

4 Sect. *Ad alterum* ἐνστάσεως *modum pertinet* εἰκὸς, *ſive violatio, cum argumentum retorquetur in adverſarium.*

Ut, *Sepeliiſti, quia adſtitiſti interfecto.* Imò, inquit alter, *quia adſtiti interfecto, non interfeci:*

interfeci: nam id ſi eßet, in fugam me conjeciſſem.

5 Sect. *Præter vero ἀνυπολλογισμὸν, & ἔνστασιν, alii etiam ſunt confutandi modi. Uti* ἐξουδενισμὸς, *ſive contemptus.*

Quomodo Cicero videri vult, accuſationem Cælii magis fuiſſe iras, & quærimonias amantium, quàm vera crimina.

6 Sect. *Item* ἀποπλάνησις, *ſive deductio, quando judicem, ſive auditorem, alio abducimus, pollicentes nos de eo quod objicitur, poſtea dicturos, ut ita, premente nos adverſario, elabamur.*

Qua arte ſæpius utitur Cicero.

7 Sect. *Etiam confutamus interrogatione: quæ adjuvatur τῇ ὑποκρίσει ſive actione & vocis ſono.*

Ut, *Cantando tu illum? aut unquam tibi fiſtula cerâ.*
Juncta fuit?
Vide infra lib. IV. cap. XXI. Sect. 25.

8 Sect. *Item increpatione, ubi crimen aliquod cum indignatione rejicitur.*

Pertinet huc execratio; ut, *Di te perdant, fugitive, qui iſta objicis.* Vide eodem cap. Sect. 33.

9 Sect. *Plurimùm autem refert, quàm confutandi rationem*

rationem potissimùm ineamus. Nam multa sunt, quæ indignatione, vel interrogatione aculeatâ, aut joco urbano melius eludantur quàm argumentis multis impugnentur. Aliquibus etiam refellendis si nimis insistas, altiùs suspicionem criminis animis judicum defigas.

10 Sect. *In confutandis adversarii argumentis non semper idem servatur ordo. Sed prudens orator non difficulter dispicict, num in primâ quasi acie levioris armaturæ milites velit concidere, ut deinde vim omnem in fortius agmen convertat: an à fortioribus malit incipere, ut, iis expugnatis, quod reliquum est vel spiritum liceat diffare. Quod si ab uno capite omnia dependeant, plane inde ordiendum, ut, eo sublato, simul omnis annulorum nexus dissolvatur.*

11 Sect. *Sed cuncta hæc exilem adferant fructum, nisi juventus sibi ob oculos ponat illustria quædam Confutationis exempla; quæ deinde imitetur.*

Hujusmodi est illa pro S. Roscio, pro Milone, pro Cælio, pro Plancio, item in Pisonem.

12 Sect. *Inque iis spectare convenit, quomodo ad confutationem accedatur: qua ratione capita accusationis proponantur: ut item gravibus argumentis insistatur, acriterque pondere argumentorum urgeatur adversarius: & contra quasi transvolentur levia multa, ne, si diutiùs in iis mora ducatur, frigescat oratio; ut item sales interdum admisceantur, quò in hac palæstra etiam delectetur judex; denique ut per interrogationem,*

terrogationem, Subjectionem, & similia schemata (de quibus in Elocutione dicemus) non modo ornatus multum, sed etiam γοργότητος, *atque acrimoniæ, accedat orationi.*

Tantum de contentione.

CAP. IX.

De Epilogo.

1 Sect. Superest *postrema pars, quæ Græcis* ἐπίλογος, *Latinis* Peroratio *dicitur.*

Ubi *Per* vim eam habet, quam in *Perficere*, & similibus. Cicero IV. Acad. Quæst. *Et quoniam multa dixi, est mihi perorandum.* Pro Quinctio: *Mihi perdifficile esse, contra tales oratores, non modo tantam causam perorare, sed omnino verbum facere conari.* At in Græco ἐπίλογος, ἐπί idem valet, ac in ἐπίμετρον, & ἐπίκυκλος: quomodo & Horatius, cùm quatuor odarum libros scripsisset, quem iis superaddidit, Epodon appellavit. Quanquam aliter de hoc Grammatici antiqui*, atque etiam Turnebus.†

2 Sect. *Est verò epilogus totius orationis clausula.*

Nam post res singulas confirmatas epilogis quidem utimur; sed hîc sermo est nobis de epilogo universæ orationis; qui inter omnes regnum obtinet.

3 Sect.

* Vetus Horatii interpres, Diomedes lib. 3. cap. de poëmatum genetibus. Marius Victorinus. lib. 3. &c.

† Lib. 21. ad vers. c. 6. & lib. 28. c. 38.

3 Sect. *Interdum tamen epilogo opus non est: ut si vel brevicula sit oratio, vel causa admodum tenuis.*

Ubi luculentum velle epilogum addere, tantundem fuerit, ac si casæ rusticæ studeamus apponere posticam aulæ convenientem. Quare hîc solùm opera danda est, ut masculè, & expeditè desinamus. Ita Lucianus encomium muscæ claudit his verbis; Πολλὰ * δ' ἔτι ἔχων εἰπεῖν, καταπαύσω τὸν λόγον, μὴ καὶ δόξω, κατὰ τὴν παροιμίαν, ἐλέφαντα ἐκ μυίας ποιεῖν. Itidem, qui volet laudare apes, scite his verbis clauserit orationem: *Quid * non divinum habent, nisi quod moriuntur?*

* Habeo multa præterea dicere, sed desinam, ne videar, quod in veteri verbo est, ex musca facere elephantem.

4 Sect. *Epilogi munus est duplex. Prius est ἀνακεφαλαίωσις, sive enumeratio potissimorum argumentorum.*

* Quintilianus declamat. 23.

Nempe, quæ sparsim tota diximus oratione, ea hic simul ob oculos ponimus, præstantis instar pictoris, qui ingentem historiam exiguâ proponit tabellâ. Exemplo esto epilogus iste in Maniliana; qui tamen partis est, non verò totius orationis: "Quare videte, num "dubitandum vobis sit, omni studio ad id "bellum incumbere, in quo gloria nominis "vestri, salus sociorum, vectigalia maxima, "fortunæ plurimorum civium cum Rep. de"fenduntur. *Et alter in eadem, multò post:* "Quare cum & bellum ita necessarium sit, "ut negligi non possit; ita magnum, ut "accuratissimè sit administrandum; & cum "ei imperatorem præficere possitis, in quo "sit eximia belli scientia, singularis virtus, clarissima

" clarissima auctoritas, egregia fortuna; dubi-
"tabitis, Quirites, quin hoc tantum boni, quòd
" à Diis immortalibus oblatum, & datum est,
" in Remp. conservandam, atque amplifi-
candam, conferatis? - Enumerationis autem,
quæ universæ sit orationis, luculentum ha-
bemus exemplum orátione pro Cluentio. Qua
in oratione peroratio incipit ab istis verbis;
" Quod hoc portentum, Dii immortales? quod
"tantum monstrum in ullis locis? quod tam
" infestum scelus, & immane, aut unde na-
"tum esse dicamus? Jam enim videtis profe-
" cto, Judices, non sine necessariis me, ac maxi-
" imis causis, principio orationis meæ de matre
"dixisse, nihil est enim mali, nihil sceleris, quod
" illa non ab initio filio voluerit, optaverit, co-
" gitaverit, effecerit. *Hinc enumeratio sequitur*;
"Mitto illam primam libidinis injuriam, mitto
"nefarias generi nuptias; mitto cupiditate ma-
"tris expulsam ex matrimonio filiam; quæ non
" dum ad hujusce vitæ periculum, sed ad com-
" mune familiæ dedecus pertinebant; nihil de
"alteris Oppianici nuptiis queror; quarum illa,
" cum obsides filios ab eo mortuos accepisset,
"tum denique in familiæ luctum, atque in pri-
" vignorum funus nupsit. Prætereo, quod Au-
" rium Melinum, cujus illa quondam socrus,
"paulo antè uxor fuisset, cum Oppianici esse o-
"perâ proscriptum occisumq; cognosceret, eam
" sibi domum, sedemque conjugii delegit, in
"qua quotidie superioris viri mortis indicia, &
"spolia fortunarum videret. Illud primum que-
ror, de illo scelere, qd nunc denique patefac-
tum est, Fabriciani veneni qd jam tum recens,
suspiciosum cæteris, huic incredibile, nunc verò

apertum jam omnibus, ac manifestum videtur, Et quæ sequuntur.

5 Sect. *In Enumeratione duo observare oportet. Unum est, ut ea tantùm repetamus, in quibus causa potissimum consistit, quæq; propterea maxime velimus auditorum animis inhærere.*

Omnia enim si minutàtim repetere velimus: aut subtiliter nimis dicere cogemur; aut non peroratio erit, sed nova consurget oratio.

6 Sect. *Alterum est, ut eadem cum pondere aliquo dicantur; & aptis excitentur sententiis, figuris etiam varientur, ut videatur crambe repetita.*

Nam illâ rectâ repetitione nihil est odiosius. Quippe quæ institui videatur, quasi diffidamus auditorum memoriæ.

7 Sect. *Alterum epilogi munus est παθοποιία, sive commotio affectuum, quos verò affectus cieri potissimùm oporteat, non est operosum videre ex ipsa causa. Nam cum gratulatione, admiratione, æmulatione perorandum est, si laudemus: sin vituperemus, odium, invidia, contemptus, moveri debent.*

8 Sect. *In consiliis spes excitanda, sive explendæ cupiditatis, sive ulciscendæ injuriæ. Interdum etiam timorem ex periculi metu injici expedit.*

Sect.

8 Sect. *In judiciis verò omnia concurrunt, amor, odium, invidia; imprimis autem indignatio, & misericordia: illam accusator, hanc reus aucupatur.*

10 Sect. *Hac in parte orator imprimis aperire debet fontes eloquentiæ: sic ut non solùm incendere judicem, sed ardere ipse videatur. Atque ad hoc plurimùm confert ut ita complectatur animo imagines rerum absentium, quasi eas oculis coram cernere videatur. Nam quo quis melius eas conceperit, hoc potentior erit in affectibus commovendis.*

Indicant hoc perorationes Ciceronis. Ut pro Milone, ubi ait. *Sed finis sit: neq; enim præ lachrymis jam loqui possum: & hic se lachrymis defendi vetat.* Et pro Rabirio Postumo: *Sed jam quoniam, ut spero, fidem, quam potui, tibi præstiti, Posthume; reddam etiam lachrymas, quas debeo.* Et paulo post; *Jam indicat tot hominum fletus, quàm sis charus tuis, & me dolor debilitat, includitq; vocem.*

Scitè verò dicebat magnus ille Galliarum Rex, idemque optimus ingeniorum censor. Henericus Quartus *, non aliunde se melius præstantem dignoscere oratorem, quam ex peroratione. Nam etiam, qui naturâ parùm possunt, tamen artis beneficio sæpe ordiuntur eleganter; atque aliquandiu etiam in orationis suæ cursu provehuntur feliciter: sed postquam deventum est ad epilogum, ubi maximè desideratur vis oratoris, ibi penitùs flaccescunt, & nihil laude dignum amplius possunt: quod inde

* Nichol. Caussinus in sacræ humanæque elo-quentiæ parallelis.

* Articulas pigmentarias.

ferè contingit, quia jam omnes artis λειψάνους * exhauserint: aut quia temporis angustiâ excludantur, quò minùs orationem pari arte, atque industria pertexant. Imò interdum etiam hîc opera eorum claudicat, quibus & ingenium & ars, & otium, abunde suppetit: nempe quia animus jam diutinâ curâ lassatus, eo, quod supereſt, citò nimis studeat defungi. Ne quid hujusmodi usu veniat nobis, ita in tornando exordio & proximis limandis, versabimur; ut subinde cogitemus, qua portâ sit exeundum.

Atque hæc dicta sunto de Dispositione, quatenus respondet Inventioni, quam generalem, magisque simplicem, vocabimus. Naturæ nunc ordo exigebat, ut deinceps tractaremus de dispositione earum orationum, quarum argumenta excussimus in doctrina Inventionis speciali, magisque mixtâ. Ut sunt consolatoriæ, conciliatoriæ, gratulatoriæ, monitoriæ, nuptiales, funebres, natalitiæ, & similes. Nam inventionis quidem est earum argumenta quocunque ordine assignare: sed argumenta illa digerere, hoc verò munus est dispositionis proprium. Verumtamen in speciali hujusmodi materiâ aliud nobis ordo doctrinæ exigere visus est. Nam cum statim possis argumenta eo commemorare ordine, quo plurimum in oratione solent collocari; quid profectò attinebat, prius illa rudi indigestáque sylva proponere; mox eadem repetere, licet ordine meliori? Quare cùm earum ὑποκειμένων satis ex iis cognoscatur, quæ in speciali Inventionis doctrina dixi,

diximus: non est profectò, quod in iis nunc teramus tempus. Illud tamen consilium non videtur posse improbari, siquis omnem istam de talibus orationibus doctrinam, quam nos proposuimus posteriori parte libri secundi, hoc demum loco tradat: nempe tanquam superiores doctrinæ de inventione, & dispositione, appendicem jastam, quæ in specialibus quibusdam materiis tum argumenta propria, tum eorum ordinem, ostendat. Non disceptabo, uter ordo præstat, quando res illa profectò tanti non est. Verùm de eo quisque judicio suo fruatur, ut lubet.

Cæterùm ex iis, quæ de orationibus istis exposuimus, judicium etiam ferre possumus de ordine epistolari. Nam pleræque omnes epistolæ ad ista genera revocantur; aut si, quæ eo referri non posse videantur, hæ ferè, quod ad ordinem, non egent artificii ullius. Quales sunt illæ, quæ narrant, in quibus rei gestæ ordinem servamus. Item quibus alteri respondemus, ubi illi plurimùm ordini insistimus, quo alter epistolam pertexuit. Id se facturum ait Tullius, lib. VI. ad Att. Epist. *Accepi tuas literas ad quintum miliare Laodiceæ, quas legi libentissimè, plenissimas amoris, humanitatis, officii, diligentiæ. Iis igitur respondebo. Sic enim postulas: nec οἰκονομίαν meam instituam: sed ordinem conservabo tuum.* Nec tamen id perpetuum est. Sanè lib. I. ad Art. Epist. XIII. *Respondebo*, inquit, *tibi ὕστερον πρότερον, ὁμηρικῶς*. Nempe quia Homerus sæpe media prius narrat, quàm initium rei. Alibi etiam se purgat

ordine turbatiori, ſcripſiſſéque dicit *quicquid in buccam veniret.* Et ad Quinctum fratrem ait, *hallucinari interdum epiſtolas.* Quare non eſt, quòd iſtis immoremur.

Finis Libri Tertii.

GERARDI.

Gerardi Johannis Vossi PARTITIONUM ORATORIARUM.

Liber Quartus.

CAP. I.

De Elocutione universè, ac particulatim de priori Elegantiæ parte quæ in Latinitate consistit.

1 Sect. CUM *oratori videndum sit, & quid, & quo loco, & quomodo unumquodq; dicat; dutque priora, (quorum unum Inventionis est, alterum Dispositionis) exposuerimus; proximum est, ut de tertio agamus; quod, quatenus in dictione quidem cernitur, Elocutionis; qua autem extra eam spectatur, Pronuntiationis est, sive Actionis.*

2 Sect. *Elocutio alia philosophica est, alia oratoria, alia historica, alia poetica. Hoc loco de oratoriâ propriè agemus; de cæteris non nisi obiter quædam aspergemus.*

3 Sect. *Et si verò elocutio, Aristotele teste, à poetis profecta sit ad oratores; multùm tamen horum illorumque elocutio distat. Nam poetica*

*longiùs abit à vulgari consuetudine loquendi: unde Cicero * poetas ait quasi alia * quædam linguâ loqui.*

*Lib. 2. de Orat.

*Ita cum Lambino legere malim, quam cum vulgare codd. *aliena.*

4 Sect. *Elocutio oratoria est rerum inventarum, & dispositarum, per verba sententiasq; expositio ad persuadendum idonea.*

Quâ in definitione elocutio jure non tantùm verborum esse dicitur, verùm etiam rerum. Nec enim solùm orationem vestit flore verborum, sed & lumine sententiarum. Neque obstat, quod inventio sententias suppediat; Nam nihil prohibet, quo minùs hæ ad utrumque possint partem referri; ad inventionem quidem, quatenus probant, ad elocutionem autem, in quantum ornant.

5 Sect. *Elocutionis præcepta, quà verba, quà rem spectes, partim sunt generalia, neq; respiciunt certam materiam, aut characterem: partim sunt specialia, & ad hanc illamve materiam ac characterem, restricta, atq; accommodata.*

6 Sect. *Elocutio communis dividitur in Elegantiam, Dignitatem, & Compositionem.*

7 Sect. *Elegantia efficit, ut unumquodq; tum purè, tum aptè dicatur.*

8 Sect. *Puritas Latinis dicitur Latinitas. Ea, ut placet Maximo Victorino *, nihil est aliud quàm* observatio incorrupte loquendi secundum Romanam linguam.

*Lib. de Grammatica.

9 Sect. *Quare oratio non Grammaticis duntaxat præceptionibus; sed etiam bonorum scriptorum consuetudini conformis esse debet.*

10 Sect.

10 Sect. *Nec tamen hæc pars tam oratorem constituit, quàm urbis alumnum; eoque, qui commendat quemquam ob elegantiam, non tam eum laudat, ut oratorem, quàm ut civem Romanum.*

11 Sect. *Habet enim sermo urbanus nativum quid, quod peregrinis assequi, difficile est; adeò quidem ut Asinius Pollio in Livio etiam quandam agnoverit Patavinitatem* *.

12 Sect. *Atque eò magis nunc, desitâ Latinè loquendi consuetudine, opera nobis danda est, ut quàm minimum absimus ab sermonis Romani elegantiâ.*

13 Sect. *Sed fieri illud nequit, nisi constet prius in quibus consistat Latinitas, & quomodo comparetur.*

14 Sect. *Consistit autem ea, tum in verbis ipsis, tum in modo pronunciandi.*

15 Sect. *In verbis delectu opus est, quem originem eloquentiæ esse jure optimo dicebat Cæsar.* *

16 Sect. *Delectus is non ob elegantiam solùm adhibetur, sed etiam ob dignitatem & compositionem.*

* Fabius lib. 1. cap. 5 Namque ornate quidem; sed interdum tamen non satis Latinè huic Critico adscripsisse videtur.

* Lib. 1. de analogia, ut testatur Cicero in Bruto.

Ad dignitatem pertinet, quatenus vocabula sunt propria, vel modificata: hæc rursum, vel molliter, vel durè translata: Ad compositionem verò refer, quatenus quædam præ aliis suavia sunt, aut sonora. Verùm de discrimine, ac judicio, ratione dignitatis aut compositionis, suis infrà locis dicetur.

17 Sect. *Nunc agendum de eo quatenus elegantiam gignit. In quo delectu distinguuntur vocabula ratione ortûs, significationis, & usus.*

18 Sect. *Ratione ortus, vel Latina sunt, vel peregrina. Peregrina verò, vel Græca sunt, vel aliarum gentium. Græcis abstinebit orator. Quod siquid Latinè dici non possit, idem pluribus exponet.*

Cicero lib. III. de Fin. bon. & mal. *Equidem soleo etiam, quod uno Græci, si aliter non possum, idem pluribus verbis exponere.* Vide etiam, quàm ejusce rei studiosus fuerit Tiberius: de quo ita Tranquillus. * *Sermone Græco, quanquam alioqui promptus & facilis, non tamen usquequaq; usus est, abstinuitq; maximè in senatu: adeò quidem, ut,* Menopolium *nominaturus, priùs veniam postulârit, quòd sibi verbo peregrino utendum esset: atque etiam in quodam decreto patrum, cùm ἔμβλημα recitaretur, commutandam censuit vocem, & pro peregrinâ nostratem requirendam: aut si non reperiretur, vel pluribus, & per ambitum verborum, rem enunciandam.* Ac meminit ejusce rei etiam Dio in LVII, Βουληθεὶς * καὶ περὶ τούτου τὸ δόγμα ποιῆσαι, ἐκώλυσεν ἐς αὐτὸ τὸ ὄνομα τὸ τοῦ ἐμβλήματος, ὡς καὶ Ἑλλενικόν, ἐμβληθῆναι. καὶ τοι μὴ ἔχων ὅπως ἐπιχωρίως αὐτὸ ὀνομάσῃ. Narrat idem aliquanto post, ut cum strenam à quibusdam oblatam non accepisset, eadem de re proposuerit edictum, in quo voce non Latina uteretur. Hoc cùm in mentem ei venisset noctu, ut erat elegantiæ in loquendo perquam diligens, vocâsse ad se omnes, qui linguæ Latinæ proprietatem studiosè observarent. Ibi Atteium Capitonem dixisse, tametsi nemo ante eum isto vocabulo usus fuisset, hoc nihilominus

* in Tib. cap. 71.

* Facturus de hac re decretum *emblematis* vocabulum in eo poni, quia Græcum esset, prohibuit; quanquam Latinum, quoad interpretaretur haberet nullum.

minus in Tiberii gratiam inter antiqua esse referendum. At Marcellum quendam (a) subjecisse tum, *Hominibus Cæsar, civitatem dare potest, verbis non potest.*

19 Sect. *Si Græci scriptoris versus sit adducendus, satius fuerit eum Latinè transferre.*

Quod Cicero etiam observat in oratione pro Deiotaro, ubi sententiam Latinè exprimere, quàm Græcum referre versum maluit. Imo idem facit in iis, quæ de Philosophia scripsit. Ut penè initio Tusculanorum quæstionum; ubi itidem Epicharmi versiculum istum convertere, quam Græcè recitare, maluit.

Ἀπόθανεν, οὐ ἤ τεθνᾶμεν, οὔ μοι διαφέρει. (b)

Ita enim apud eum Marcus, & alter, colloquuntur, *M. Dicam, si potero, Latinè. Scis enim, me Græcè loqui in Latino sermone non plus scelere, quàm in Græco Latinè.* A. *Et rectè quidem dem: sed quæ tandem est Epicharmi ista sententia.*

M. Emori nolo, sed me esse mortuum nihili æstimo.

Atque hæc satis ostendunt, quantum recedant ab antiquis, qui, venti atque ostentationis causâ, passim infarciunt Græca, atque ita, Chimæræ instar, monstrosam reddunt orationem. Sanè tantùm abest, ut probari hæc res possit in semidoctis, ut in Lucilio ipso, quem

(a) Apud Dionem legitur Πορκελλὸς τις, pro Μάρκελλός τις. Est is M. Pomponius Marcellus: ut liquet ex Suetonio de claris Grammaticis; ubi rem eandem narrat.

(b) Ita ut alibi monuimus, apud Sextum Empiricum legendus is versus; de quo minimè audiendus doctissimus Simo Bosius animadversionibus in Epist. 3. lib. 1. ad Att.

(quem Græca Latinis miscuisse, reliquiæ ostendunt) reprehenderit illud Horatius * :

At magnum fecit quod verbis Græca Latinis
*Miscuit. O seri studiorum, quine * putetis.*
Difficile, & mirum, Rhodio quod Pitholeonti
Contigit. An sermo linguâ concinnus utráque
Suavior, ut Chio nota si commista Falerni est?

20 Sect. *Nec tamen hæc ita accipi debent, quasi in totum abstinendum sit Græcis. Nam iis uti licet, quæ usu jam sunt recepta.*

Cicero lib. 3. de Fin. Bon. & mal. *Quanquam ea verba, quibus ex instituto veterum utimur pro Latinis, ut ipsa* Philosophia, *ut* Rhetorica, Dialectica, Grammatica, Geometria, Musica *quanquam Latinè ea dici poterant, tamen, quoniam usu recepta sunt, nostra ducamus.* Imò Cicero orat. in Pisonem, non refugit Græcum verbum οἴχεται *; sed cum Plauti * citaret versum illum, jam ore omnium pervulgatum.

Ratio quidem hercle apparet, argentum οἴχεται.

21 Sect. *Imò in epistolis eorum etiam est usus quæ in vulgus recepta non sunt, dummodo scribamus ad illum, qui Græce sciat. Nam si nesciat Græce, quid aliud quàm ignaviam ei exprobemus, atque inscitiam? Imprimis autem iis fuerit locus, occultare siquid velimus.*

Hujus quoque rei exempla passim habemus in epistolis ad Atticum: ubi eâpse de causâ multa dicit ἐν αἰνίγμασι, καὶ ἀλληγορίαις * : Qd ipse agnoscit, lib. 11. epist. XIX: "Post hæc, inquit,

* lib. 1. sersat. 10.
* οἴγε, qui utique. Vide Priscianum li. 16.
* abiit, sive evanuit.
* Trinum. Act. 2. sc. 4.
* ænigmaticè, & allegoricè.

inquit ad te, si modò perfidelis habeor quidem, scribam omnia planè; aut si obscurè scribam, tu tamen intelliges, in his epistolis, me Lælium, te Furiam faciam, cætera erunt ἐν αἰνίγμασι. *

* Obscurè & per ænigmata.

22 Sect. *Præterea loca Græcè adducere expedit iis, qui commentarios, aut animadversiones scribunt in veteres scriptores.*

Nam collatio Græcorum Latinorúmque multùm ut voluptatis, ita etiam utilitatis adfert.

23 Sect. *Item cum de veterum mente controversia est.*

Nam cùm multa adeo perperam vertantur, facilius inveniemus fidem, si ipsa scriptoris verba adducamus.

24 Sect. *Inprimis verò iis apud peritos utemur, si destituamur Latinis: ut sit in multis nominibus partium humani corporis, animantium, plantarum, gemmarum, medicamentorum: item vocibus instrumentorum, quas ethnici, aut Philosophi cuderunt.*

Cicero lib. III. de Fin. "Puto, concedi nobis oportere, ut Græco verbo utamur, "si quando minùs occurret Latinum, ne hoc "ephippiis, & acratophoris potiùs, quàm "proegmenis, & apoproegmenis, concedatur; quanquam hæc quidem proposita rectè, & rejecta dicere licebit.

25 Sect.

25 Sect. *Adhæc non est, quòd apud doctos refugiamus Græca, si Latinis fuerint significantiora, vel elegantiora.*

Ut si φιλαυτία malis dicere, quàm *amor sui ipsius.* Item ἀπειροκαλία quàm *ignorantia decori*, vel etiam *ineptia.* Nec enim hæc idem significant: etsi id magni viri putarint. Accedo potiùs Tullio, qui lib. 11. de Oratore, de Inepti vocabulo agens, *Vim*, inquit, *hujus mali Græci non vident: ne nomen quidem ei vitio imposuerunt. Ut enim quæras omnia, quomodo Græci ineptum appellent, non reperies.* Scio hac parte à Budæo * reprehendi Tullium. Sed Ciceronis causam fortiter agit Cæsar Scaliger oratione de verbo *Inepti* ad Arnoldum Ferronum. Nec in singulis, modò verbis, sed etiam conjunctis, id locum habet. Certe perierit venustas, si Latinè efferre velis illud Diogenis Cynici*: Κρεῖττον ἐς κόρακας ἀπολθεῖν, ἢ ἐς κόλακας. * Vel illud Solonis, aut, ut alii volunt, Xenophantis. Τοῖς πεφύκνοις ἐντυγχανεῖν δεῖ, ἢ ὡς ἥκιστα, ἢ ὡς ἥδιστα*. Súntque ejusmodi innumera. Et hæc de Græcis.

26 Sect. *Quemadmodum verò in Græcis fecimus, ita in aliarum etiam gentium vocabulis distinguere convenit inter illa, quæ civitate sunt donata, & ea, quæ peregrinitatem nondum exuêre.*

Posterioris generis est Mastruga, * Sardum vocabulum. Scio uti Tullium * Sedita, ut Fabius * ait, *illudens Cicero ex industria dixit.* Tale quoque Prænestinum *tonia* pro *ciconia*

*Lib. 1. de Asse.
* Apud Laërtium.
* Satius est in corvos incidere, quam in adulatores.
*Plutarch. Helychius illustris.
*Cum tyrannis aut nihil sermonis habendum, aut suavissime.
* Vel mastruca.
*Pro Scauro.
* Apud Isidorum l. 19. cap. 23. Etiam orat. de provinciis consular, legas cum mastrucatio latrunculis

ciconia: cujus meminit Plautus Truculento*. Sane & *Præneſtinorum ſermone utentem Vellium Lucilius inſectatur*: ut ibidem ait Fabius. Tale quo *parlamentum* pro ſuprema curia Pariſienſi. Item *guerra* pro bello, etſi ne in verſu quidem id refugit Baptiſta Mantuanus. *

* Act. 3. ſc. 2.

*Lib. 1. cap. 5.

At prioris generis eſt *camelus*, qd à Syris eſſe agnoſcit Varro lib. IV. de L. L. itidem *eſſedum*. Quòd à Gallis eſt, ut judicat Junius Philargyrius,* ſúntque multa ejuſmodi.

*In 3 Georg.

27 Sect. *A ſignificatione dividuntur vocabuli bifariam. Nam vel conſideramus ſignificationis aptitudinem, vel rei ſignificata honeſtatem.*

28 Sect. *E priori conſiderandi modo reſultat vocabulorum diſtributio in magis & minus ſignificantia: è quibus potiora ducuntur æquantia rem, de quâ ſermo eſt.*

29 Sect. *E poſteriori oritur altera diviſio, in honeſta, & inhoneſta; cujuſmodi ſunt obſcæna, & ſordida.*

30 Sect. *Obſcena ſunt, quæ res veneris nudis enunciant vocabulis.*

31 Sect. *Verùm cùm voces obſcenæ æque Latinæ ſint; imò ſcriptores Romani κατ' ἀντονομασίαν* per Verba Latina *intelligant* * *obſcena, tanquam quibuſdam Latina ſive Romana inſit ſimplicitas: profecto non tam, qui his utitur, contra Latinitatem, quàm bonos mores peccat: neque tam imperitiam detegit ſermonis Romani, quam animi impuritatem.*

* Turnebum vide lib. 24. Adverſ. c. 5.

32 Sect. *Quare qui hoſtis naturæ non eſt, is aut in totum iſtis abſtinebit, aut ſiqua eſt rei enunciandæ neceſſitas, eam potiùs verborum te-*

get

get involucro, naturam hac in parte imitans, quæ partes obscenas maximè ab oculis removit.

33 Sect. *Etiam abstinendum sordidis. Ejusmodi sunt, quæ notant res immundas.*

Qualia Stercutio relinquemus.

34 Sect. *Denique ab usu distinguuntur vocabula, idq; bifariam. Nam vel usus is spectatur in populo, vel in scriptoribus illis, quorum aliqua hodie habemus.*

35 Sect. *Ratione popularis consuetudinis distribuuntur vocabula in vetera, & nova.*

36 Sect. *Veterum alii in usu sunt, alia non sunt.*

37 Sect. *Priora vel soli usurpantur vulgo: vel etiam doctis.*

38 Sect. *Quibus solum vulgus utitur, ea etsi de rebus sordidis non sint, tamen pro sordidis habentur.*

Nempe sordes contrahunt quæcunque usu hominum elegantium haud nitescunt. Unde Gellius * ea vocat *maculentia ex sordidiore vulgi usu.* Hujusmodi quædam apud Leberium inveniri ait, ut, *homo levenna*, pro levi, *Malas malaxare*, *gurdus*, *cocio*, *botulus* pro farcimine, & alia: quamvis de quibusdam rigidè nimis exerceat censuram: ut cum ejusmodi facit *planum* pro sycophanta, quo tamen usum agnoscit Ciceronem in orat. pro Cluentio. Ac videtur non minus falli de *obba*, quod nec Persius refugit. Interim rectè Gellius, cùm

*Lib. 16. cap. 7.

cùm distinguit inter vulgi usum, & consuetudinem doctorum, de quo elegans etiam est Fabii locus l.b. 1. cap. VI. *Constituendum imprimis id ipsum, quid sit, quod consuetudinem vocemus. Quæ si ex eo, quod plures faciunt, nomen accipiat, periculosissimum dabil præceptum, non orationi modò, sed quod majus est, vitæ. Unde, enim tantum boni, ut pluribus, quæ recta sunt, placeant? Igitur, ut velli & comam in gradus frangere, & in balneis perpotare: quam libet hæc invaserint civitatem, non erit consuetudo: quia nihil horum caret reprehensione; at lavamus, & convivimus ex consuetudine: sic in loquendo, non siquid vitiosè multis insederit, pro regula sermonis accipiendum est. Nam, ut transeam, quemadmodum vulgò imperiti loquantur, tota sæpe theatrâ, & omnem circi turbam, exclamasse barbare scimus. Ergo consuetudinem sermonis vocabo consensum eruditorum: sicut vivendi consensum bonorum.*

39 Sect. *Eorum quæ neq; docti refugerunt, alia fuere his usitata, alia rara.*

Usitata, *ut urbs, murus, cælum, &c.* Rara, ut *oppidò* pro *statim*, *actutum* pro *valde*, omniáque quæ antiqua sunt, nec tamen planè antiquata.

40 Sect. *At quæ in usu esse desierunt*, obsoleta *dicuntur.*

Ut sunt, *topper*, pro *citò*, *manus* pro *bonus*; *iduare* pro *dividere*, similiáque.

41 Sect.

41 Sect. *Quæ florente sermone Romano viris præstantibus in usu fuere, hæc nobis etiam constituere debent orationis corpus.*

Neque enim in Epistola solùm, sed in oratione etiam, illud locum habet.

Munda, sed è medio, consuetaq; verba, juventus,
Scribite: sermonis publica verba placent.

42 Sect. *Obsoleta omnino vitanda.*

Quibus qui utuntur, perinde agunt, ac si cum Evandri matre, loquantur, ut Phavorinus dicebat. * Cujus & illud est apud Gellium. * *Id*, " *inquit*, quod à Caio Cæsare, " excellentis ingenii ac prudentiæ viro, in primo de Analogiâ libro scriptum est, habe semper in memoria, atque in pectore, ut, tanquam scopulum, sic fugias inauditum atque insolens verbum.

43 Sect. *Rara & ipsi rarò usurpabimus. Nam insipientis est putare, passim hoc licere nobis, quod fortasse uno alterove in loco sibi scriptor aliquis permiserit.*

Hujusce etiam rei nos Seneca admonet epist. CXIV. *Arruntius, vir raræ frugalitatis, qui historias belli Punici scripsit, fuit Sallustianus, & in illud genus nitens. Est apud Sallustium:* exercitum argento facit, *id est pecuniâ paravit. Hoc Arruntius amare cœpit: posuit illud omnibus paginis. Dicit quodam loco:* Fugam nostris fecere. *Alio loco;* Hiero Rex Syracusanorum bellum facit. *Et alio loco;* Quæ audita

ta Panormitanos dedere Romanis fecere. "Gu-
" ſtum tibi dare volui. Totus his contexitur
" liber. Quæ apud Saluſtium rara fuerunt,
" apud hunc crebra ſunt, & penè continua:
" nec ſine cauſa: ille enim in hæc incidebat,
" at hic illa quærebat. Vides autem, quid ſe-
" quatur, ubi alicui vitium pro exemplo eſt:
" Dixit Salluſtius; Aquis hiemantibus: *Arruntius in primo belli Punici ait:* Repentè hiemavit tempeſtas. *Et alio loco, cùm dicere vellet, frigidum annum fuiſſe ait.* Totus hiemavit annus. *Et alio loco:* Inde ſexaginta onerarias leves præter militem, & neceſſarios nautarum, hiemante Aquilone, miſit. *Non deſinit omnibus locis hoc verbum inſulcire. Quodam loco Salluſtius dicit:* Inter arma civilia æqui boni famas petit. *Arruntius non temperavit, quo minùs primo ſtatim libro poneret:* ingentes eſſe famas de Regulo.

Hac in re peccari inprimis ſolet à juventute. Nam in lectione auctorum plurimùm non tam attendit ad vultum ac lineamenta ſermonis nativi; quam tantummodo extantia quæque excerpit, ac recondito eorum uſu famam poſtea eruditionis aucupatur. Hujuſmodi tamen modicè uſurpata, neque affectata, dignitatem tribuunt orationi: quia non quilibet iis fuerat uſurus. Et hæc de veteribus.

44 Sect. *Novorum quædam ab aliis conficta ſunt, & vel à paucis, vel etiam à vulgo recepta; cujuſmodi, generali vocabulo,* nova *appellantur; alia verò à dicente primùm finguntur; qua, diſcriminis cauſâ,* novata *nuncupamus.*

45 Sect.

45 Sect. *Eorum, quæ presſè* nova, *vocantur, non una eſt ratio: quia, quæ aliquando fuere nova, poſtea facta ſunt vetera; eoque videndum eſt, quando recipi quidque cœperit. Quæ Ciceronis aut Maronis ævo irrepſere, ea quin tutò uſurpentur à nobis, nemo ferè ambigit.*

Iſtiuſmodi eſt *noviſſimus* pro ultimo, *cervix* pro cervicibus.

46 Sect. *Major eſt dubitatio de iis, quæ proximo ſeculo, decreſcente jam puritate in uſu eſſe cœperunt.*

Ut *interim* pro *interdum*, *ſubinde* pro *identidem*: Nam priori ſeculo valuit *deinde*.

47 Sect. *Hujuſcemodi non eſſe vocabulis utendum, multorum opinio eſt. Et puerili quidem ætati hæc rectè interdici, agnoſcimus. In iis verò, quibus judicium firmavit ætas, feram potius, quàm vel laudem, vel culpem.*

48 Sect. *At illis, quæ collapſo prope ſermone Romano, ac decrepitâ quaſi ætate, inventa ſunt, qualia apud Symmachum, & Sidonium ſunt multa, in totum cenſeo abſtinendum.*

49 Sect. *Ac multò magis damnanda arbitror, quæ proximis ſunt inventa ſeculis, aut noſtro; præſertim ſi neque nitantur neceſſitate, neque facta ſint ἀναλόγως ſivè congruè; quorum alterutrum abſit, omnino, tanquam barbara, averſer.*

Ita nulla neceſſitas fuit, cur different *prædicatum* pro *attributo*, & *principaliter* pro *maximè*. At contra Græcæ compoſitionis leges peccat

peccat ἐτυμία, (a) quod finxit Thomas Morus, alludens ad Homericum ἔπος. (b)

50 Sect. *Novatorum quatuor sunt genera; alia imitatione fiunt, alia derivatione, alia compositione, alia nova significationis impositione.*

Imitatione: ut si à sono animalis verbum effingas ad instar veterum *balare*, *baubare*, & aliorum, quæ habes apud Philomelæ (c) scriptorem.

Derivatione, quomodo Gaza ab hirundine fingit *hirundinaria*, quæ Græcis χελιδόνιον (d) item à corniculo *cornicularia*, ut iisdem est κεραστίς. (e) Simile sit, si à capitio, quod veteribus (f) fœminarum mamillare erat, aliquam dicas *capitiatam*, quod pectus capitio texerit.

Compositio, quomodo à *bombo* & *ardeo* conflarunt *bombardam*. Sic Gaza ad exemplum Græcorum ἀλίφλοιος (g) κυνόσβατον (h) τελορχις (i) effinxit *falsicortex*, *canirubus*, *triteslizer*: súntque apud eum hujus generis longè plurima.

Denique *novæ significationis impositione*, ut qui *clepsydram* vocant, quod verius est *clepsammium*, seu *clepsammidium*. Nec enim aquâ nunc, ut olim, sed arenulis, tempus metimur.

Ex hic quatuor modis primus κατ' ὀνοματοποιίαν fit, ultimus κατὰ μεταφορὰν: de quarum utráque postea dicetur.

(a) *Non locus sive potius ne locus, aut terminatione etiam mutata nelocia. Ita ficto nomine regionem vocabat, quæ foret nusquam. Unde, qui volet, æquè ridiculo nusquam jam appellet.*

(b) *Nullus*

(c) *Inter Ovidio perantribuata.*

(d) *Plantæ genus.*

(e) *Item plantæ genus.*

(f) *Varro l. 4. de L. L. & de vita populi Rom. etsi aliter Nonius, sed non intellexit Varronem.*

51 Sect. *Novata usurpare licet, cum deest verbum vetus, aut id quod habemus, non satis idoneum.*

(g) *Species est Roboris* (h) *Canina sentis* (i) *Accipitris genus.*

est. Ac inprimis, locum habent in rebus amœnis jucundisq;. Alias utendum iis verecundiùs.

Ita usurpat Tullius lib. de Senectute: *Terra semen tepefactum complexu suo diffundit, & elicit* Herbescentem *ex eo viriditatem.* Et ibidem: Ne sylvescat *sarmentis.* Hactenus de usu verborum, quatenus in populo consistit.

52 Sect. *Præterea usus spectatur ratione scriptorum: unde vocabulorum alia poetica sunt, alia historica, alia oratoria, alia iis propria, qui artes aut scientias tractant.*

53 Sect. *Poetica dicuntur, non quibuscúnque utuntur poetæ: sed quæ apud solos inveniuntur poetas, vel saltem poetis * sint in usu, orationibus non item.*

* Etsi non solis, sed etiam historicis: de quorum dictione Sect. seq.

Ut, *olli* pro *illi*, *grates* pro *gratias*, *altum* pro *mare*, *pugnare alicui* pro *cum aliquo*. Nec quia alia poetarum, quàm oratorum, dictio est, eò poetarum lectione abstinere debet pedestris eloquentiæ candidatus. Nam, ut nihil dicam de liberali delectatione, quæ ex iis percipi potest: multum hoc studio ipsa alitur eloquentia. De delectatione quidem ita Tullius pro Archia: *Quæres à nobis, cur tantopere hoc homine delectemur? quia suppeditat nobis, ubi & animus ex hoc forensi strepitu reficiatur, & aures convitio defessæ conquiescant.* Et mox. *Si ex his studiis delectatio sola peteretur, tamen, ut opinor, hanc animadversionem humanissimam, ac liberalissimam, judicaretis.* Eadem Fabii mens lib. x. cap. 1. *Præcipuè.* inquit,

quit, *velut attrita quotidiano actu forensi ingenia optimè rerum talium blanditiâ reparantur.* Quantopere verò nutriatur eloquentia Poeticæ studio, ostendunt hæc verba, quæ proximè ibidem antecedunt: *Plurimùm dicit oratori conferre Theophrastus lectionem poetarum, multíque ejus judicium sequuntur, neq; id immeritò: Namque ab his, & in rebus spiritus, & in verbis sublimitas, & in affectibus motus omnis, & in personis decor petitur.*

54 Sect. *Nec poetica tantùm, sed historica etiam phrasis ab oratoriâ est diversa.*

Quinctilianus: * "Vitandum quoque, in "quo magna pars errat, ne in oratione poetas "nobis, & historicos; in his operibus, oratores, "aut declamatores imitandos putemus. Sua "cuíque proposita lex, suus decor est. *Lib. 10. cap. 1.

Crebrum sanè loquendi genus historicis est, *lubrica viarum, occulta saltuum, prominentia montium*, aliásque, quæ apud oratores haud temere reperias.

55 Sect. *Nec artium vocabula, qualia multa habent Grammatici, Philosophi, Theologi, aliique rerum divinarum, aut humanarum doctores, ab oratores usurpari debent; quia oratio ejus debet esse popularis.*

Non quidem, quasi penitùs protritis, & calcatis vocabulis, uti oporteat (nam in pedestri quoque oratione locum habet illud Venusini vatis. *

Odi profanum vulgus, & arceo. *Lib. 3. od. 1.

Sed

Sed quia usurpare non debet, quæ à populo non intelligantur. Et hæc quidem dicta sunto de vocabulorum delectu.

56 Se. *Altera Latinitatis pars consistit in pronunciationis sono. Nam non ea tantùm usurpanda est dictio, quam nemo reprehendat: sed insuper moderanda est & lingua, & spiritus & vocis sonus.*

Frustra tamen sit, qui putet, se hac parte adspirare posse ad veterum gloriam. Nihil quippè vulgari est pronunciatione corruptius. Ut cùm C. ante vocales E. & I. aliter afferimus, quàm ante A. O. V. aut consonantes L. & R. Item cùm dipthongos Æ. & OE. pronunciamus, tanquam nudas vocales. Et sunt alia id genus plura, de quibus agimus in commentariis de præceptis Linguæ Latinæ.

57 Sect. *Diximus, in quibus consistat Latinitas: videndum quomodo comparetur. Ac olim quidem acquiri poterat auditu solo, quia passim loquebantur Latinè: nunc non item.*

Hoc minus, quia seu magnatum, parentúmque culpâ, seu perpetua seculorum infelicitate, fere ita usu venit, ut ii præficiantur primæ ætati, qui necdum ipsi è luto posuerunt pedes. Et sanè dubitandum non est, quin inde sit, quòd etiam cùm sedulo fuerimus in optimis scriptoribus volutati, sermo tamen fluat lutulentus.

Adeo

Adeò in teneris consuescere multum est. *Virgil. 2. Georg.

58 Sect. *Supersunt igitur duo præcipuè modi, quibus Latinè discamus: diligens bonorum scriptorum lectio, & eorundem imitatio.*

59 Sect. *Præstantium Latinæ linguæ auctorum quanquam non ita magnus est numerus, non tamen à quovis quilibet sunt legendi; sed judicio hîc opus, quia scriptorum alii aliis sunt meliores, & pro cujusq; profectu, legendi sunt alii, atq; alii.*

60 Sect. *Scriptores quidem distinguimus pro ætate, quâ quisq; vixere. Quinque enim quasi ætates facimus sermonis Romani; puerilem, crescentem, adultam, decrescentem, & decrepitam. Ad puerilem refero Saliares hymnos; ex quibus fragmenta quædam citantur à Grammaticis antiquis. Item leges 12. Tabularum. Primus in adolescentiâ est Livius Andronicus; optimi autem Plautus, Terentiusque. In adultâ sunt ex oratoribus quidem & rhetoribus, Cicero, Cælius, Cornificius, Porcius Latro *, M. Seneca &c. ex historicis Sallustius, Julius Cæsar, A. Hirtius, scriptor belli Hispaniensis, Livius Velleius &c. ex poetis, Lucretius, Catullus, P. Syrus Mimus, Maro, Horatius. Tibullus, Propertius, Gratius, Ovidius, &c. ex medicis, Philosophis, reive rusticæ, aut architectonicæ scriptoribus, Varro, Vitruvius, Scribonius Largus, Cornelius, Celsus, Pomponius Mela, Columella, &c. In decrescente verò ætate sunt oratores & rhetores, Rutilius Lupus, Quinctilianus, Plinius junior &c.*

* Modo illa in Catilinam declamatio sit Porcii Latronis, ac non potiùs alterius declamatoris antiqui; quod verius puto. Videtur enim oratio illa aliquantò inferior laudibus, quas Latroni tribuit M. Seneca.

&c. historici, *Curtius, Suetonius, Tacitus, Justinus, &c.* poetæ, *Lucanus, Persius, Silius, Juvenalis, Valerius, Flaccus, Statius Papinius, Martialis, &c.* philosophi, *L. Seneca, Plinius Veronensis, &c.* grammatici, *Asconius, Gellius, &c. In decrepita ætate sunt Symmachus, Sidonius, &c.*

61 Sect. *Pro legentium quoq; profectu, non sine summorum virorum * exemplo, triplicem quasi ætatem ponimus, puritiam, adolescentiam, & ἀκμὴν sive ætatem statam.*

*Eos inter Lipsii in epistolica institut...

62 Sect. *Puritiæ solus legendus est Cicero, atque id, quousque ex eo didicerit formare orationis corpus.*

Nam ut pictor primò hominem delineat, inde colores addit: ita nobis prima esse debet cura formandi corpus orationis: post demum de ornamentis laborabimus. Quod si statim nunc hunc, nunc illum legamus scriptorem: oratio non erit æquabilis, & unius quasi filii; sed incomposita & inconstans. Si quos tamen Ciceroni addere sit visum: illi haud alii sunto, quam præiverint ipsi in hoc puerili imitationis genere; Longolius imprimis, tum autem Bembus, Bunellus, & Manutius in epistolis illis, quas ante senium scripsit. Nam cæteræ frigidam sapiunt ætatem.

63 Sect. *Adolescentiæ utilis est in sermone familiari, ac epistolis quoque, Terentius, & mox Plautus: at in orationibus scribendis illi veterum conducent, qui à Tullii dictione proximè absunt.*

Nec

Nec movere debet, quòd multi in Cicerone uno consistendum putent. Placere sibi aiunt Plinianum illud *: *Studiosissimum, ad imitandum non optima quæque proponere.* Verùm ratio eos fugit, cùm in solo Cicerone optima omnia esse arbitrantur. Nam non tantùm multa sunt non venustè minùs ab aliis scriptoribus, quàm Cicerone dicta, sed etiam plurima sunt quæ Ciceronis verbis efferri non possint; sive in re rustica, in qua adeundi sunt Varro, & Columella, aliique ejusce rei scriptores; sive in architectonica, in qua consulendus Vitruvius; sive in re naturali, in qua accedendus Plinius; ut in aliis rebus alii. Quare Ciceroni alios addemus, postquam is docuerit formare periodos, numeros, ac totam seriem, contextúmque orationis. Sed neque tum amplius servandum erit puerile istoc imitationis genus, quod inter alias secutus is, quam dixi Longolius; ut qui etiam semiperiodos è Cicerone describat, sed potius Ciceronis, aut alius scriptoris sententiæ alio debebunt orationis vestitu ornari, Ciceroniſque verba aliis accommodari sententiis, atque ita ex unâ velut cerâ plures effingi imagines.

* Lib. 1. epist. 5.

Interim tunc quoque in scriptoribus delectu opus est. Nam quidem sermonem familiarem juvabunt maximè Plautus & Terentius, &, qui ad eorum proximè dictionem accessit, Agellius. Deque epistolis idem sentiendum. Unde Plinius *, epistolas laudans comparat eas Plauto, & Terentio, metro solutis. In orationibus autem & historiis,

* Lib. 1. Epist. 16.

riis, magis ii proderunt, qui proximè accedunt ad Ciceronis stylum: ut sunt Cæsar, Livius, Velleius, Curtius, Quinctilianus.

64 Sect. *Tertiâ verò ætate, quia jam constantem duxerimus sermonis lineam, nihil periculi erit, ne ornamentis aliunde arcessitis, aut obruatur sermo, aut dimoveatur de gradu. Quare huic ætati exspatiari licebit per omne scriptorum genus.*

Imò tùm ne ex ipso quidem Appuleio, vel glossariis, dummodo judicium adsit, haurire aliqua gravabimur, quæ, suo usurpata loco, ornare valeant orationem.

65 Sect. *Imprimis autem tum legendi breves illi scriptores, Sallustius, Tacitus, Seneca, & similes: quorum lectione futurum est, ut paullatim judicii falce resecetur luxuries dictionis.*

Hactenus de Latinitate.

CAP.

CAP. II.

De Perſpicuitate.

1 Sect. DICAMUS *nunc de perſpicuitate, ſive evidentiâ; quæ magis etiam in oratione neceſſaria eſt, quàm exquiſita Latinitas.*

Hinc illud vetus, & pervulgatum;

Σαφήνειάν μοι, κ' ἀμαθίαν φεῦγον *.

*Indoctius proloquitor, atque clarius.

Et profecto, ut optimè inquit Auguſtinus *, *Quid prodeſt locutionis integritas, quàm non ſequitur intellectus audientis? cum loquendi omnino nulla ſit neceſſitas, ſi, quod loquimur, non intelligant, propter quos loquimur, ut intelligant.* Quare non imitanda nobis dictio Tertulliani, præſertim ſcholaſtico ſcripto de Pallio. Idem de Perſii dictione judicium eſto. Imprimis verò perſpicuitate eſt opus, ſi res fuerint obſcuræ. Ubi planè exigitur virtus ea, quæ ab Hermogene dicitur λογὸς ἁπλοῦς, oratio nempe ſimplex, nudiſque ſententiis, ſine ullâ artis affectatione, ſaltem quæ conſpicua ſit. At in rebus apertis, dictione minùs vulgari uti licet; juxta illud vetus, Τὰ μὲν κοινὰ καινῶς, τὰ δὲ καινὰ κοινῶς *.

*Lib. 2. de doct. Chriſt. cap. 10.

* Communia rariter, rara communiter.

2 Sect. *Ad perſpicuitatem requiritur, ut vocabula propria ſint, & uſitata.*

De propriis ita Ariſtoteles lib. III. Rhetor. cap. III *. Τῶν ὀνομάτων, καὶ ῥημάτων

Ex nominibus & verbis perſpicuam orationem efficiunt propria.

σαφῆ (ἡ λέξις) ποιεῖ τὰ κύρια. Et in Poetica cap. XXII. Σαφεστάτη μὲν λέξις ἐστὶν ἡ ἐκ τῶν κυρίων ὀνομάτων *. De uſitatis ſic idem ſcribit lib. VI. Topicorum cap. II. Πᾶν γὰρ σαφὲς, τὸ μὴ ἐπιδεὲς *. Propria autem cum dico, non excludo modificata, ſed requiro nativam ſignificandi vim ex uſu dictorum. Cùm item additur, uſitata eſſe debere; arcentur obſoleta, & nova, quo nomine etiam novata jam comprehendo. Sed & rara quæ ſunt, ad abſoletorum naturam propius accedunt: unde ipſa etiam obſcuritatem adferre ſolent, ſaltem imperitis. Idémque de artium vocabulis judicandum.

* Maximè quidem perſpicua eſt dictio, quæ ex proprius nominibus conſtat.

3 Sect. *Præterea neceſſe eſt, ut vocabula unum ſignificent: cui rei repugnant* ὁμωνυμία, *&* ἀμφιβολία. Ὁμωνυμία *eſt unius pluriſumve vocabulorum ambiguitas extra conſtructionem. Nam ſi conſtructioni inſit,* ἀμφιβολία *dicitur.*

* Quicquid enim in uſitatum eſt, id obſcurum eſt.

Ita ὁμωνυμία eſt in voce *Germanus*, qua & in Germania natus, & frater germanus ſignificatur. Hæc non vitium eſt, ſed virtus, quando ludere viſum eſt ambiguitate dictionis; ut cum de Cimbro fratricida (in quem epigramma quoque exſtat Maronis) Cicero dixit, *Germanum occidit Cimber.*

Ἀμφιβολίας exemplum tale ponit Fabius (*a*) *Teſtamento quidam juſſit poni ſtatuam auream haſtam tenentem.* Quæritur enim, num ſtatua haſtam tenens aurea eſſe debeat, an haſta eſſe aurea in ſtatua alterius materiæ. Sic illo Ennij verſu,

(*a*) Lib. 7. cap. 9.

Aio

Aio te, Æacida, Romanos vincere posse. Item illo apud Fabium *.

Chremetem audivi percussisse Demeam.

In cujusmodi exemplis nescitur, uter accusativus à fronte regatur, uter à tergo. Est tamen, cùm ejusmodi structura nullam ambiguitatem parit. Ut si dicas, *Vidi struthiocamelum deglutientem ferrum.* Neque enim periculum est, nequis struthiocamelum putet à ferro esse deglutitum.

* lib. 8. c. 2. Item lib. 7. cap. 9. Sed hic pro *Chremetem* habet *Lachetem*.

4 Sect. *Nec debet oratio nimis esse concisa, ut in βραχυλογία, quomodò vocatur nimia sermonis brevitas.*

Sanè scriptores, qui brevitatem sectantur, in obscuritatem facilè incidunt: quod de Plinio Veronensi, ipsoque Sallustio, ostendit Andr. Scottus Tullianarum Quæstionum lib. 1. cap. XIX. Ejusdem Plinii est lib. VII. de Ciceronet *Omnium triumphorum lauream adepte majorem.* Quo de loco mirifica quidam somniant. Nam putant *omnium triumphorum* κατ' ἀναλλαγὴν poni pro *omni triumpho.* Atqui βραχυλογία est, pro *triumphorum laureâ lauream adepte majorem.* Interim laudatur sæpe Brevitas, sed pro re natâ, non affectata. Βραχυλογίᾳ delectati Lacones.

5 Sect. *Obscuritatem quoque parit sermo, si tam longus sit, ut dicentem prosequi non possit auditoris intentio. Μακρολογία appellatur. Hanc imprimis in epistolis fugere oportet.*

*Lib. 7. Epist. 1. Sanè obscurius paullò illud Petri Bembi epistolâ, quam Leonis X. nomine scripsit ad Ludovicum, Galliæ Regem *: "Verùm "cum optimam vivendi rationem, summámq; "probitatem, & eximiam mulieris temperan- "tiam tam amplo in imperio positæ, cæ- "teraſque ejus præstantissimas virtutes animo "repeteremus; & simul hujus vitæ miserias, "atque horum temporum incommoda, per- "turbationésque, respiceremus: in eam senten- "tiam adducti sumus, ut bene cum iis actum "esse statuerimus, qui hoc tempore mortem "cum vita commutavissent: Deumque Opt: "Maxim: Annam Reginam ad sese, tanquam "de terrarum æstu & fluctibus in portum, "aut tanquam de flebili hospitio ad plenam hi- "laritatis paternam domum, cœlum ipsum, "beatorúmque concilium vocavisse, magnope- "re existimaremus; ubi illa bene actæ vitæ præ- "mia, & cùm liberalitatis, atque beneficentiæ, "quibus dualbus virtutibus supra mulierum "captum enituit; tum verò etiam temperantiæ "patientiæque suæ speratos fructus, læta fe- "licissimaque perceperit.

6 Sect. *Deniq; obscuritatem adfert verborum mixtura: qualis est in ἀναστροφῇ, & συγχύσει. Ἀναστροφὴ trajicit verbum in eodem commate.*

Ut apud Cornelium Nepotem in Timothei vita: *Hunc adversus tamen Timotheus postea populi jussu bellum gessit.* Pro *adversus hunc.* Quamquam hoc quidem loco potius elegantiæ est. Afranius apud Nonium,

Ut

ut scire possis, ad quo te expediat loqui. Pro *Quoad.*

7 Sect. Συγχυσις *trajicit verbum ex uno commate in alterum.* *Lib. 1. sat. 5.

Ut apud Horatium *,

Namque pilâ lippis inimicum, & ludere crudis:

Nam *ludere* conjungi debet cum *pilâ* quod in priori commate est. Et apud eundem *; * Lib. 1. cap. 10.

—*Simius iste*
Nil præter Calvam, & doctus cantare Catullum

Atque hæc præcipuè sunt, quibus obscura redditur oratio; *in quod malum etiam à quibusdam laboratur: neque id novum vitium est, cùm jam apud T. Livium invenerit* Fabius (a) *fuisse præceptorem aliquem, qui discipulos obscurare, quò dicerent, juberet, Græco verbo utens,* Σκότιον (b). *Unde illa scilicet egregia laudatio, Tanto melior: ne ego quidem intellexi.* (a) Lib. 8. cap. 2. (b) Obscurato.

CAP. III.

De Dignitate, ac Tropis generatim.

1 Sect. Nec *satis est, ut dictio sit pura, & perspicua, quod Elegantia præstat: sed duobus præterea opus est*, dignitate *quadam verborum & sententiarum, ac sidei* compositione.

In domo magnificâ non tantùm ea, sunt quæ ad necessitatem pertinent, sed etiam, quæ ad ornatum. Itidem fit in sermone oratoris. Ubi necessitatis est elegantia, hoc est Latinitas & perspicuitas: quæ præstat Grammaticus. Sed Rhetor superaddit his ornatum duplicem: unum ex verbis sententiisque; alterum ex venusto verborum situ, ac collocatione. Sane (ut eâdem in similitudine persistamus) in domo splendidâ non sufficit, ut res ipsæ sint ornatæ, velut picturæ; sed opus est etiam, ut tum ea, quæ ad necessitatem pertinent, tum quæ ad ornatum faciunt, suis singula collocentur locis. Quid enim inornatius, quàm si picturæ præstantes sint in coquinâ; vasa coquinaria in triclinio? Quare, undique ornata sit oratio, tum ea eligi debent, quæ picturarum instar per se habent ornatum: ut sunt verborum sententiarumque lumina; de quibus tractat Dignitas; tum etiam, quæ, vel ad emendatum, ac perspicuum sermonem, vel ad isthæc verborum sententiarumque lumina

mina pertinent, ea universa pro rei, de quâ agitur, naturâ, suaviter aut asperè, & periodicè, numerosèque, debent collocari; quod docet Compositio.

2 Sect. *Usus utriusque partis multò maximus est. Nec enim tantùm facit, ut ipsi scribamus ornatè, sed etiam, ut summam capiamus voluptatem ex scriptis alienis.*

Nam quemadmodum, qui in domo magnificâ cæcutientibus, aut clausis oberrat oculis, quia non videt picturas præstantissimas, pavimentum tessellatum, lacunaria aurea, pulcherrimum cunctorum ordinem, nullam capit voluptatem; ita nec delectationem percipit ex scriptis ornatissimis, quia non videt illas orationis picturas, atque, ut Lucilius ait,

Quàm lepidè lexeis compostæ, ut tesserulæ omneis
Arte pavimenti, atque emblemate vermiculato.

3 Sect. *Quia autem prior est cura rei inveniendæ posterior collocandæ: priùs dicemus de eâ parte, quæ suppeditat res illas suapte naturâ ornatas, h. e. orationis picturas, sive illa verborum sententiarumq; lumina, quæ Rhetores vocant* tropos, & schemata. *In his enim duobus consistit Dignitas.*

4 Sect. *Tropus est vocis à propriâ significatione in alienam cum virtute immutatio.*

Quod & nomen indicat. Nam est τρόπος ἀπὸ τοῦ τρέπω, id est, *verto*, ut ad verbum *inversionem*

inversionem sonet. Intellige autem inversionem vocis tum complexæ, tum incomplexæ. Nam fit tropus, tum in vocibus singulis; ut *mulus* pro stupido; tum in conjunctis; ut *laterem lavare*, pro, frustra laborem suscipere instar laterem lavantis.

5 Sect. *Hujus immutationis causæ fuere duæ. una est necessitas. Nam linguæ singulæ proprio in multis vocabulo destituuntur, eoq; alienum arcessendum fuit.*

Istiusmodi est *gemmare* in vitibus; vel cum segetes *sitire*, aut fructus *laborare* dicuntur; aut cùm dicimus *hominem durum*, vel *asperum*.

6 Sect. *Huc quoq; pertinet, cùm translatum est significantius.*

Ut, *incensus irâ, inflammatus cupiditate, lapsus errore.*

7 Sect. *Altera causa est ornatus.*

Ut, *flumen eloquentiæ, lumen orationis.* Item cùm Cicero Clodium ait esse *fontem* gloriæ Milonis, & alibi, *segetem materiamq;* gloriæ ejus.

8 Sect. *Huc refer quoque tum honestatem, cùm dictu parùm honesta voce deflexâ explicantur, (nam quod turpe est, id quoque inornatum est) tum verborum copiam, quia illa quoq; orationis varietas ornat, & delectat.*

9 Sect.

9 Sect. *Fit autem inversio significationis quadrifariam, ac pro eo quatuor etiam sunt tropi primarii, Metaphora, Metonymia, Synecdoche, & Ironia.*

Nam vel res arcto adeo vinculo conjunguntur, ut unum sit de alterius essentiâ, velut totum & pars, quæ *Synecdoche* commutat: vel non quidem unum de alterius essentia est, sed tamen cum essentia conjungitur; sive quia alterum alterius causa est; sive quòd unum alteri insit, aut adsit; alterúmve præcedat, aut sequatur (*a*) quæ invertit *Metonymia*; vel ne quidem conjuncta sunt cum essentia, sed aut similia tantùm, cujusmodi commutat *Metaphora*; aut etiam oppositа, quorum unum pro altero ponit *Ironia*. Ex his, seu splendorem, seu usum spectes, facile princeps est Metaphora; de qua idcirco aliorum Rhetorum exemplo, primo loco dicturi sumus.

(*a*) Duplicem hîc viam insistere licet. Nam vel ad metonymiam solùm referemus, cum unum est alterius causa, aut subjectum; vel eodem pertinebit, cùm unum se habet, ut antecedens. Si prius placet, metalepsis; quæ commutat antecedens, & consequens species erit metonymiæ. Sin posterius arridit; & quintus

De Metaphora.

CAP. IV.

9 Sect. METAΦOPA *sive translatio, est tropus, quo verbum à propria significatione in alienam transfertur ob similitudinem. Itáque tria spectantur in metaphora, significatio pro-*

prius placet, metalepsis; quæ commutat antecedens, & consequens species erit metonymiæ. Sin posterius arridit; præter tropos quatuor commemoratos, erit & quintus tropus primarius, nempe metalepsis.

pri-

pria, aliena, & similitudo.

E.G. Dixit cum Ennio Virgilius;

——— *dua fulmina belli,*

Scipiadas. Propriè in tempestatibus est fulmen. Improprie de homine dicitur in bello. Similitudo in eo consistit, quòd ut fulmen est animantibus terribile, ac noxium; ita Scipio hostibus terrori esset maximo.

3 Sect. *Metaphorâ alia petitur ab ἀναλογία, quæ inter quatuor est: alia à similitudine, quæ est inter duo.*

E. G. Ut se habet caput ad hominem, ita princeps ad Remp. Et hîc gemina similitudo. Nam similia sunt, tum caput, & princeps; tum corpus, & Resp. Itaque si principem voces caput Reipublicæ, fuerit prioris generis metaphora. At inter hominem versutum & vulpem, est simplex similitudo; eóque, cum Christus Herodem, ob mores vulpinos, appellat vulpem, metaphora est posterioris generis.

4 Sect. *Præterea metaphora vel reciproca est, vel non reciproca.*

Reciproca est in vocibus *aurigæ*, & *gubernatoris*. Nam & *auriga* pro gubernatore ponitur, & *gubernator* pro auriga. Item in vocabulis *alti*, & *profundi*. Nam et mare *altum*, & cœlum dicitur *profundum*.

Non reciproca est *vertex* pro cacumine. Neque enim *cacumen* dicere vicissim liceat pro vertice.

4 Sect.

4 Sect. *Ducuntur metaphoræ à divinis, cælestibus, elementis, meteoris, lapidibus, metallis, plantis, bestiis, hominibus, eorumque operibus: adeò ut tam latè pateat metaphora, quam similitudo, quæ se in res omnes extendit.*

5 Sect. *Maximè interim commendantur metaphoræ illæ, quæ rebus sensu carentibus actum quendam, & animum dant.*

Ut illa VIII. Æn. *Pontem indignatus Araxes,* & ista Ciceronis pro Ligario, *Quid enim tuus ille, Tubero, districtus in Acie Pharsalicâ gladius agebat? cujus latus ille mucro petebat? qui sensus erat armorum tuorum.*

6 Sect. *Debent metaphoræ esse verecundæ, ut migrâsse, non irruisse in alienum locum videantur.*

Cicero ad Tyronem. (a) *Sed heus tu, qui κανὼν (b) esse meorum scriptorum soles: unde illud tam ἄκυρον (c) valetudini fideliter inserviendo? Unde in istum locum, fidelitur, venit? cui verbo domicilium est proprium in officio. Migrationes in alienum multæ. Nam & doctrina, & domus, & ars, & ager etiam, fidelis dici potest: ut sit, quomodo Theophrasto placet, verecunda translatio.*

(a) Epi. 17 l. 16.
(b) Regula accensar.
(c) Improprium.

7 Sect. *At vitiosæ sunt metaphoræ, in quibus est dissimilitudo.*

Itáque damnat (d) Cicero Ennianum illud, *Cœli ingentes fornices.* Nempe quia fornices

Lib. 3. de Orat.

nec

nec totum complent circulum: fortasse &, quia à rectis lateribus consurgere soleant.

8 Sect. *Item, in quibus simile nimis longe ductum.*

Ut *Syrtim patrimonii*, & *Charybdin bonorum*. Pro illo *scopulum*; pro hoc, *voraginem* rectiùs dixeris; quia sensus facilius feruntur ad ad ea, quæ visu, quam quæ auditu perceperunt. Poëtis tamen quàm oratoribus, audacioribus hîc esse licet.

9 Sect. *Fugiendæ etiam quæ sumuntur à re turpi*, h. e. *obscœnâ, aut sordidâ.*

Ut, *stercus curiæ Glaucia*: *Respublica castrata morte Camilli*, & illo, quod ex veteri oratore adducit Fabius *Persecuisti Reipub. vomicas.*

10 Sect. *Item quæ nimis amplificant.*

Ut si puer dicatur *ferreus in studiis.* Neque enim id eo convenit ætati: licet ætate provectum rectè dixeris χαλκέντερον, (*a*) quod Didymi Grammatici olim cognomentum fuit. (*b*)

(*a*) Intestina habentem ærea.

(*b*) Suidas.

11 Sect. *Nec minores debent esse re significata.*

Ut *saxea Verruca.*

12 Sect. *Nec facilè recedendum à metaphora, à qua cœpit oratio. Vitiosè enim, si à fontibus cœperis, desinas in incendium.*

13 Sect. *Etsi autem nullus est florentior tropus, quique plus luminis afferat orationi, quàm*

metaphora.

metaphora; non tamen frequentari nimis debet. Nam ut modicus delectat usus, ita immodicus tædio complet; & ut modicus illustrat, ita immodicus obscurat; ut qui exeat in allegoriam, ut ænigma.

14 Sect. *Quibus verò locis magis, quibus minus, metaphoris uti liceat; id hujus loci non est, sed pertinet ad doctrinam de charactere.*

De quo sequenti libro dicemus.

CAP. V.

De Metonymia.

1 Sect. METΩNYMIA, cùm sit à *μετὰ*, & *ὄνομα* (*b*), *ad verbum sonat* transnominatio, *vel potius* transnomen, *quâ formâ pro ἀντωνυμία* pronomen *dicimus. Alio nomine, Cicerone teste,* Υπαλλαγὴ *vocatur.*

2 Sect. *Est verò tropus, quo causa externa* (*c*) *ponitur pro effectu, aut subjectum pro adjuncto, vel antecedens pro consequente, aut contrà.*

3 Sect. *Istarum sex in universum sunt ejusmodi. Primus est causæ externæ pro effectu.*

Ut, *Mars* pro bello, *Ceres* pro frugibus, *Cicero* aut *Livius* pro scriptis. Sic dicimus, *Vario Marte pugnatum.* Virgil. (*d*)

Quærantq; canistris.

Dona laboratæ Cereris. Martial. (*e*)

Pellibus

(*a*) Trans. (*b*) Nomen (*c*) Plerique tantum *μετωνυμίαν* vocant, cum causa usurpatur pro effectu, vel subjectum pro adjuncto, aut contrà. Quod si placet, cum antecedens ponitur pro consequenti, erit tropus singularis ut annotavimus ad oran: c. 3. Sect. 9. (*d*) Æn. 1. (*e*) Lib. 14. dist. 190.

Pellibus exiguis arctatur Livius ingens,
Quam mea vix totum bibliotheca capit.

4 Sect. *Alter modus est, effecti pro causa.*

Ut *expalluit, pro extimuit.* Nam pastor est effectum timoris. Horatius: *

* Lib. 3. ep. 3.

Pindarici fontis qui non expalluit haustus.

Sic *pallida* mors, quia mortui pallent. Horat. *

* Lib. 1. od. 4.

Pallida mors æquo pulsat pede pauperum tabernas.

Regumq; turres.

Virgil.

——Scipiadas cladem Libyæ.

Hoc est, qui cladem Libyæ intulerunt. Sic *sudor* pro labore apud Mosem, * & Hesiodum. *

* Gen. cap. 3. vers. 19. & apud: vers. 287.

5 Sect. *Tertius modus est subjecti pro adjuncto. Subjecti autem nomen laxè hic usurpatur pro eo, cui quid inest, vel adest. Itaq; huc etiam refer, cum continens ponitur pro contento.*

Cic. de orat. *ut omittam illas omnium disciplinarum inventrices Athenas*, pro Atheniensibus. Pro lege Manilia: *Testis est Italia*, &c. pro *Italis*. Sic *rus* pro rusticis. At aliter Catullo Volusii annales dicuntur;

Pleni ruris, & infacetiarum:

Hoc

Hoc est rusticitatis. Quomodo & Græcos loqui, monet Hesychius, Ἀγρυπλέως, ἀγροικίας πλήρης.

6 Sect. *Item cùm possessor ponitur pro re possessa.*

Ut cum Suetonius ait, *Claudium venalem pependisse*, hoc est prædia ejus, dendente titulo ac libello, proscripta. Similéque est illud apud Terentium Eun. *comedendum aliquem propinare.* h.e. bona alicujus. Cic. De Senect. *Cujus ego villam contemplans; non enim longè abest à me*, id est à villa mea.

7 Sect. *Præterea cùm nomen rei signatæ tribuitur signo.*

Ut Ecl. III.
Orpheaq; in medio statuit, sylvasq; sequentes.

Id est cœlatam Orphei, sylvarum imaginem. Sic *Jupiter*, pro statua Jovis Ovid. Fast. I.

Jupiter angusta vix totus stabat in æde,
Inque Jovis dextrâ fictile fulmen erat.

8 Sect. *Adhæc cùm dux * oponitur pro exercitu.*

Nisi malis hic esse synecdochen partis. Vide cap. seq. Sect. 7.

Ut cum dicimus, ab Annibale apud Cannas Cæsa esse sexaginta Romanorum millia. Cui simile, cum patronus, vel advocatus ponitur pro cliente. Cicero pro Cæcinna; *Restituisse*

stituisse te dixti? Nego mea dicto Prætoris restitutum esse. Me, hoc est clientem meum.

9 Sect. *Item cùm res, quæ in tempore fit, pro tempore usurpatur.*

Ut *messis* pro æstate. 1. Georg.

Ante focum si frigus erit, si messis in umbra.*

Ecl. 5. Sic,

Tertia Messis erat.

10 Sect. *Quartus metonymiæ modus est adjuncti pro subjecto.*

Virgil. Ecl. VIII.

Nectle tribus nodis ternos Amarylli colores.

Terni colores pro ternis liciis triplicis coloris.

Et: Æn.

— Stratoque super discumbitur ostro.

Hoc est, stragulis purpureo ostri colore tinctis.

11 Sect. *Huc pertinet, cum contentum usurpatur pro continente.*

Ut 1. Æn. *Vina coronant*, pro paterâ.

12 Sect. *Item cùm ponitur tempus, pro re, quæ in tempore est.*

Ut Phillip. IX. *Hujus seculi insolentia.*

Hoc

Hoc est hominum hujus seculi. Sic Virgil. 1. Æn.

Aspera tum positis mitescent secula bellis.

Idem IV. Æn.

——Oculisve, aut pectore noctem Accipit.

Hoc est, somnum, qui noctu capitur.

13 Sect. *Item cùm sumitur aliquid pro objecto, circa quod versatur.* Ut illo B. Ignatii.

Ἔρως ἐμοῦ ὁ σταυρωθείς. *Amor meus est crucifixus ille.* Amor pro eo, qui amatur.

14 Sect. *Item cùm signum ponitur pro re signata.*

Cedant arma togæ, concedant laurea linguæ. Maro:
Non illum populi fasces, non purpura flexit.

Ut *togæ* pro pace, *fasces* pro magistratu. Cicero.

Hunc refer, cum nomen ponitur pro re. Livius lib. 1. *Ad singula oppida circumferendo arma nomen omne Latinum docuit.* Et lib. 11. *Longe is tum princeps Volsci nominis erat.* Et alibi apud eundem passim, ut de Marone, Horatio, Tibullo, & aliis nihil dicam. Sic Ciceroni A vocatur *litera salutaris*, quia ea significatur

significatur Absolutio.

15 Sect. *Vulgò etiam ad metonymiam, adjuncti refertur, cùm virtutes vitiaq; ponuntur pro hominibus ipsis.*

Cic. Verr. 1. *Quas res luxuries in flagitiis, crudelitas in suppliciis, avaritia in contumeliis efficere potuisset.* Luxuries pro luxurioso, crudelitas pro crudeli, avaritia pro avaro. Sic *scelus* pro scelesto, *ars* pro artifice. Sed quod ejusmodi referunt ad metonymiam adjuncti, id pinguiori ab iis fit Minerva. Nam si ad vivum resecemus, scelus vel est scelerati forma essentialis, vel effectum ejus. Si prius placet, erit synecdoche partis essentialis: sin posterius, fuerit metonymia effecti.

16 Sect. *Denique (ut superiùs dicebamus) ad metonymiam refertur, cùm vel antecedens ponitur pro consequente: vel consequens pro antecedente. Utrumq; Μετάληψιν vulgò appellant.*

Antecedenti pro consequente utimur, cùm *audire* vel *auscultare*, accipitur pro *obtemperare*.
Act. 1. sc. 3. Terent. Andr. * *Pamphilúmne adjutem, an auscultem seni.*

Quomodo etiam apud Græcos sumuntur ἀκροᾶσθαι,* & ὑπακούειν *. Similis est tropus,
Plutarch. cum *scribere* usurpatur pro *dare*, *rescribere* pro
Mat. 8. 27. *reddere*, *transcribere* pro *tradere*; sive *jus suum*
Sat. 5. l. 2. *in alium transferre*. Horat.*

Scribe

Scribe decem à Nerio; non est satis, adde Cicutæ
Nodosi tabulas centum.

Teren. Phorm.*

Argentum illud denuore scribi jube.

Ubi donatus: *Quoniam ad numerationem pecuniæ antecedit scriptura: rescribere dicebant pro renumerare. Et sic infert, Næ ego præscripsi porrò illis, quibus debui.** *Act. 5. sect. 8.

Simile est *subscribere pro assentire.* Ovid.*

Neve precor magni subscribite Cæsaris iræ.

Est & hujus generis.

*——Lupi * Mærim videre priores.*

Hoc est, obmutuit, uti solent, qui priores lupum viderunt. Item,

*——Fuimus * Troes, fuit Ilium, & ingens*
Gloria Dardanidum.

* Plura Servius in 7 Æn. et Budæis prior. annot. in Pandect. *1 Trist. Eleg. 11. *Ec. l. 9. *Æn. 2.

Id est, esse desiit.

Consequens contrà pro antecedente ponitur in illo Ciceronis pro lege Manil. *Quid, ad nos cùm ab exteris nationibus venirent, captos quærar, cùm legati populi Romani redempti sint?* Nam ex eo, quòd redempti sint, captos fuisse intelligitur. Idem fit, quando, ut Donatus * ait, *dicere ponitur pro intelligere, & scire.* Ut in illo * *Fœneratum istuc beneficium tibi pulchrè dices:* & alibi apud eundem.

* In Adel. Act. 3. sc. 2. Phorm. Act. 3. sc. 2.

Possis

Possis & addere μεταλήψιν concomitantis, sive connexi. Ut in scripturis, * *Tegere pedes*, pro exonerare alvum.

*Reg. 1. cap. 23.

CAP. VI.

De Synecdoche.

1 Sect. *Synecdoche est, cùm totum ponitur pro parte, aut pars pro toto.*

Atque inde & nomen. Nam συνεκδοχὴ ad verbum sonat comprehensionem. Totum autem comprehendit partes suas.

At Grammaticis συνεκδοχὴ vocatur, cum nomen aut verbum universale restringitur ad partem, vel aliquid saltem speciale, quod per accusativum affertur. Ut, *Os, humerosque Deo similis. Rubet capillos. Induitur vestem.* Synecdochen autem appellant, quia particulare comprehenditur ab universali. Alii malunt vocare ἔλλειψιν præpositionis *secundum*: ut apud Græcos intelligi solet κατά.

2 Sect. *Fit Synecdoche sex modis. Primus est cùm genus, quod est totum universale, ponitur pro specie.*

Ut *ales* pro aquila. Virgil in XII. *Æn. 1.*

——*Prædámque ex unguibus ales,*
Projecit fluvio.

Et alibi *quadrupes* pro equo. Marc. XVI. 15. *Prædicate Evangelium omni creaturæ*, id est, homini

homini. Sic *mortales* pro hominibus apud Plautum (*a*) & apud Salluſtium ſæpius Paratio in verbis: ut *facere* pro ſacrificare. Varro lib. v. de L. L. *Flamen Dialis agnum Jovi facit.* Quomodo & Græci ἔρδειν καὶ ῥέζειν dicunt pro θύειν. Item *feminam cognoſcere*, vel *ejus notitiam habere* (*b*), pro rem habere cum aliqua Prout, & Græci uſurpant τὸ γινώσκειν. Item *alloquium* (*c*) pro conſolatione; *alloqui* (*d*) pro conſolari, *ut* Græcis παραμυθίας καὶ παρηγορεῖν.

a Trinum. Act. 2. ſc. 1.

(*b*) Cæſar. lib. 6.

(*c*) Catul. ad Cornif. Horat. Epod. 13.

(*d*) Seneca. Troad. 3. 1.

3 Sect. *Alter modus eſt, cùm ſpecies contrà uſurpatur pro genere.*

Ut *Eurus*, vel *Aquilo*, pro quovis vento, *Sabellicus ſus* pro quolibet, *Myrtoum*, vel *Carpathium mare*, pro quocunque. *Maro.*

——*Dentéſque Sabellicus exacuit ſus.* Horat.

Nam ita Carpathiæ variant Aquilonibus undæ.

Hoc pactò rarò loquuntur Oratores.

4 Sect. *Tertius modus eſt, cùm totum eſſentiale ponitur pro ſolâ materiâ, ſolâve formâ.*

Joan. XXXIII. *Sustulerunt dominum meum, nec ſcio, ubi poſuerint eum.* h. e. domini mei Jeſu corpus.

5 Sect. *Quartus modus eſt, cùm contrà pars formalis, aut materialis ponitur pro toto eſſentiali.*

Ut anima pro homine. Cicero *: *Vos meæ charissimæ animæ, sæpissimè ad me scribite.* Sic corpus pro servo. Huc pertinet quoque *argentum* pro pecunia, vasisve argenteis; *ferrum* pro armis ferreis: quam quidam appellare malunt metonymiam materiæ. Cic. Verr. VI. *Cùm essent triclinia strata, argentúmque expositum in ædibus.*

*Lib. 14. Epist. 14.

6 Sect. *Quinctius modus est, cùm totum integrale usurpatur pro parte.*

Ut Ecl. 1.

Aut Ararim Parthus bibet, aut Germania Tigrim.

Sic *orbis terrarum* pro imperio Romano. Cic. epist. 1. lib. IV. *Res vides quomodo se habeat, orbem terrarum, distributis imperiis, ardere bello.*

7 Sect. *Sextus modus est, cùm contra pars integralis ponitur pro toto.*

Ut *caput* pro homine, *puppis* pro navi, *mucro* pro gladio, *tectum* pro domo. Livius. lib. XXI. *Placentini captivi ad duo millia liberorum capitum redditi colonis.* Et possis his accensere, cùm dux ponitur pro exercitu: quippe qui sit caput exercitûs:

8 Sect. *Ad duos postremos modos refer quoque, cum numerus singularis ponitur pro plurali, aut pluralis pro singulari, aut certus pro incerto, aut rotundus pro majori minorivè.*

Singularis

Singularis pro plurali, ut apud Livium creb. ò est, *Romanus prælio victor.* Ubi pars integralis usurpatur pro integro.

Pluralis pro singulari, ut illo Ciceronis ad Brutum, *Nos populo imposuimus, & oratores visi sumus.* Nam de se uno loquitur. Ut integro utatur pro parte. Sic lib. II. de Off. *Maximè autem & gloria paritur, & gratia defensionibus; eoque major, si quando accidit, ut ei subveniatur, qui potentis alicujus opibus circumveniri urgeriq; videatur: ut nos & sæpe aliàs, & adolescentes contra L. Syllæ dominantis opes pro S. Roscio Amerino fecimus.* Vides, ut de se solo dicat, *Nos adolescentes fecimus.*

Certus pro incerto: ut *trecenta*, vel *sexcenta*, pro plurimis.

Rotundus numerus pro majori sumitur in illo Livii li xlv. *A Chalcide trajicit trium millium spatio distantem portum, inclytum statione quondam mille navium Agamemnoniæ classis.* Nam centum & octoginta sex naves fuere supra mille: si earum quidem, quæ apud Homerum * recensentur, numerum ineamus. * Iliad. β.

Sed ad synecdochen totius integrantis pertinet, si rotundus numerus ponatur pro minori. Ut si dicas, reges imperâsse Romæ annis ducentis quinquaginta. Sunt enim tantùm ccxliv Ideo Florus in prologo cum rotundo uti vellet, *prope* adjecit.

CAP. VII.

De Ironia.

1 Sect. Ironia est *tropus, quo intelligitur contrarium ejus, quod dicitur.*

Nomen est ab εἴρω, quod est *dico*; unde εἴρων, *dissimulator*, qui aliter dicit, ac sentit, ex quo εἰρωνεία accipi solet pro dissimulatione, quâ aliter sentimus, aliter loquimur. Hinc Rhetoribus εἰρωνεία est, *quæ diversum ei, quod dicit, intellectum parit*: ut à Fabio * definitur. *Illusionem* alii quibus dici, idem * auctor est: Ironia est in illo Terentii *, *O salve bone vir, curâsti probè.* Et illo Cicer. Ver. VII. *O præclarum imperatorem!* Et pro Quinctio: *Tum ille vir optimus: vereor ne se derideri putet, quòd iterum jam dico, Optimus.*

* Lib. 6. cap. 2.
* Lib. 8. cap. 6.
* Andr. Act. 5. sc. 6.
* Ibidem.

2 Sect. *Intelligitur Ironia bifariam, vel personæ, vel de qua agitur, naturâ, vel pronunciatione.*

Prioris generis est illud pro C. Rabirio? "Namque hæc tua sunt, quæ te hominem clementem popularemque delectant, I, lictor, colliga manus, quæ non modò hujus libertatis, mansuetudinisque non sunt; sed ne Romuli quidem, aut Numæ Pompilii; sed Tarquinii superbissimi, atque crudelissimi regis ista sunt cruciatus carmina: quæ tu homo lenis, ac popularis, libentissimè commemoras,

memoras, Caput obnubito, arbore infelici ſuſpendito. Nam formulæ ipſæ crudelitatis indices, & quæ de Tarquinio Superbo dicit, ſatis oſtendunt, quâ mente T. Labienum clementem ac manſuetum appellet. Poſterioris generis eſt illud Ciceronis in Clodium; *Integritas tua te purgavit, mihi crede, pudor eripuit, vita anteacta ſervavit.* Ubi, ut Fabius (*a*) ait, *cum riſu quodam contraria iis dixit, quæ intelligi voluit.* Quamquam & ex perſona, reique naturâ id facile cognoſcitur, dummodo cogitemus id, quod idem Fabius (*b*) monet, *intereſſe quid de quo dicatur.* Nam inde paret, *aut laudi ſimulatione detrahi, aut vituperationi laude aliquid conceſſum eſſe.*

(*a*) Lib. 8. cap. 6.
(*b*) Ibidem.

3 Sect. *Ironiæ, ut in jocis & ſalibus, ita etiam, cùm acrius mordere volumus, uſus eſt maximus. Atq; interdum in exordio etiam adhibetur, quod ſecuritatem cauſæ oſtendit.*

Ut apud Tullium pro Ligario, *Novum crimen, C. Cæſar,* &c.

CAP. VIII.

De Metalepsi, Antonomasia, & eâ, quæ ΑΙΤΟΤΗΣ vocatur.

Sect. 1. Vidimus *hactenus de tropis primariis. Fabius, atq; alii, plurimos adjiciunt alios: verum ii, vel sunt troporum species, vel affectiones, vel planè ad tropos non pertinent.*

2 Sect. *Primum inter species locum obtinet* Μετάληψις, *quæ Latine sonat* transsumptio. *Atq; ita vocatur, cùm antecedens ponitur pro consequente, aut contrà. Estq; ea* Μετωνυμίας *species, de qua supra* diximus.*

*Cap. 5. Sect. 13. unde exempla ejus petantur.

Aliàs Μετάληψις quid sit, cap. prox: meliùs dicetur. Nempe quia eâ notione, non tam species tropi est, quàm affectio ejus.

3 Sect. *Proxima inter species est* Ανπονομασία. *Latinè ad verbum dicatur* pronominatio. *Estque synecdoches species.*

4 Sect. *Fiat autem bifariam. Prior modus est, cùm proprium sumitur pro communi.*

Ut *Sardanapalus* pro molli, *Venus* pro formosa, *Irus* pro paupere, *Crœsus* pro divite. Ovid. IV. Trist.

Irus & est subito, qui modò Crœsus erat.

Par ratio esse videtur, cùm gentile usurpatur pro quovis, qui iisdem sit moribus.

Ut

Ut *Cretensis* pro mendace, aut *Pœnus* pro perfido. Sed hic modus, ut hujus loci est, quatenus proprium angustius est eo, pro quo sumitur; ita ad metaphoram referri potest, qua spectamus similitudinem inter proprium, & id cui tribuitur.

5 Sect. *Alter ἀντονομασίας modus est, cùm commune sumitur pro proprio.*

Ut *Urbs*, pro Roma, sunt verò quinque imprimis modi hujus generis.

I. Per *patronymicum*, ut *Saturnius* pro Jove, *Priamides* pro Hectore, *Atrides* pro Agamemnone, *Pelides* pro Achille. Horat. epist. 1.

—Nestor componere lites
Inter Pelidem festinat, & inter Atridem.

Atque hic modus solis convenit poëtis.

II. Nomine *gentili*, ut *Cytherea* pro Venere, *Arpinas*, pro Cicerone: qui modus & Oratoribus est concessus.

III. Per *epitheton*, ut * *Thalamo quæ fixa reliquit Impius.* * Æn. 4.

Impius, pro Ænea.

IV. Nomine *studii*. Ut, *philosophus* pro Aristotele, *orator* pro Demosthene, apud Græcos; pro Cicerone, apud Romanos; ac *poëta* itidem pro Homero, aut *Marone*, *Apostolus* pro Paulo.

V. *Periphrasi* non reciprocâ, ut * Trojani belli *scriptor*, pro Homero. Nam in quo falsi quidam, si ἀντιστρέφουσι *, nullus fuerit tropus; ut, *ars bene loquendi*, pro Grammatica. * Horat. * Convertuntur.

6 Sect. *Tertia species est* Λιτότης, *cùm minùs dicitur, & plus intelligitur; unde synecdochæ subjici posse liquet.*

(a) 7. Æn. (b) And. Act. 2. sc. 6.

Ut, (a) *Munera nec sperno*, pro lubens accipio. Item, *non laudo*, (b) hoc est reprehendo. Vulgò *Liptotes* vocatur, sed corruptè, cum hoc Græcum non sit. At à λίτος, id est tenuis, fit λιτότης, quod, κατὰ λέξιν extenuationem sonat.

Sunt & alia troporum species, ut κοινότης, σύλληψις, εὐφημισμὸς; sed harum pauci omnino Rhetorum meminere; eoque & nos hoc etiam loco eas præterimus. Interim vide de iis, si voles, quæ diximus in Oratoriis Institut. 1 v. cap. x.

CAP. IX.

De Allegoria, Catachresi, Et Hyperbole.

1 Sect. Affectiones *troporum præcipuæ sunt, Metalepsis, Catachresis, & Hyperbole.*

2 Sect. *Metalepsis hoc loco est tropus multiplex in voce una: sive, cùm gradatim ex unâ significatione proceditur in alienam.*

(a) Æn. 1. (b) Ecl. 1.

Ut (a) *Speluncis abdidit atris.* Per atras intellige obscuras; per obscuras profundas. Sic (b)

Post

Post aliquot, mea regna videns, mirabor aristas.

Per aristas συνεκδοχικῶς intelligit segetes, sive messes; per has autem μετωνυμικῶς signat annos.

3 Sect. *Est hujusmodi affectio poëtis quàm oratoribus accommodatior.*

4 Sect. Ἀλληγορεῖν *ad verbum dixeris* diversiloquium. *Nam conflatur ea vox ex* ἄλλο(a) *&* ἀγορεύειν (b). *Est verò allegoria tropus perpetuus, sive oratio è pluribus tropis contexta.*

(a) Aliud.
(b) Dicere.

Ita ut à tropis primariis non differat natura, sed magnitudine, quæ major est in allegoria.

5 Sect. *Plurimùm autem fit continuatione metaphoræ, adeò quidem, ut multi hoc solum allegoriæ genus agnoverint.*

Cic. Pro M. Cœlio, *Quoniam emersisse jam è vadis, & scopulos prætervecta videatur oratio mea, perfacilis mihi reliquus cursus ostenditur.* Idem, lib. 1 de Orat. *Nam qui locus quietis & tranquillitatis plenissimus fore videbatur, in eo maximæ molestiarum, & turbulentissimæ tempestates extiterunt.* Sic apud Horatium od. XII. lib. II.

Contrahes vento nimiùm secundo
Turgida vela.

h.e. Ne te rebus prosperis nimis efferas.

6 Sect. *Interim ex aliis quóque tropis fit.*

Ita metonymia continuatur in illo * *Sine Cerere & Libero friget Venus.*

*Terent. Eunucho, Act. 4. sc. 5.

Synecdoches autem continuatio est in isto Agraria II. *Cùm haberet hæc Respublica Luscinos, Calatinos, Acilinos, homines non solùm honoribus populi, rebúsque gestis, verùm etiam patientiâ paupertatis ornatos; & tum, cum erant Catones, Philippi, Lælii, quorum sapientiam,* &c. Ubi nomina illa personarum per ἀντονομασίαν accipi, liquet ex ipsâ, quam Cicero subjicit, explicatione. Idem factum in isthac orat. pro S. Roscio Amerino; *Non necesse est omnes commemorare, Curtios, Marios, denique Mamercos, quos jam ætas à præliis avocabat; postremò Priamum ipsum, senem Antistium, quem non modò ætas, sed etiam leges, pugnare prohibebant.*

7 Sect. *In allegoriis observandum, ut ne temere alio ex genere rerum, quàm cœperimus, desinamus.*

Secus si fiat, oritur plurimùm fœdissima rerum inconsequentia; ut de metaphora diximus cap. 4. Sect. 12.

8 Sect. *In iisdem vitandum, ne his immoderatè utamur, vel ne illis insit obscuritas, quæ ænigma efficit.*

9 Sect. *Est enim ænigma, ambigua quædam allegoria ad occultandam rem notam, quam significat, excogitata. Vix autem locum habet in orationibus publicis, quia non oportet crucem figere auditoribus.*

Usus

Usus tamen eo videtur Cicero pro Roscio Amerino; *Multos cæsos non ad Thrasimenum lacum, sed ad Servilium vidimus. Quis ibi non est vulneratus ferro Phrygio?* Verùm Paulus Manutius ex veteri poëta sumptum putat.

10 Sect. *Major longè est ænigmatum usus in epistolis, quia interdum in his necesse est, ut sententias verborum involucris involvamus, quo intelligamur ab iis solis, ad quos scribimus.*

Liquet id ex Ciceronis epistolis ad Att. in quibus ipse testatur, se quædam allegoriis obscurâsse.

11 Sect. *Non tamen omne ænigma est allegoricum, cùm & propriis verbis constare possit.*

Patet id ex illo Maronis *;

Dic quibus in terris, & eris mihi magnus Apollo, Tres pateat cæli spacium non amplius ulnas. *Ecl. 3.

Nam, si quidem, quæ plurimorum sententia est, intelligamus puteum profundissimum, nulla hic erit troporum frequentatio, imò nec tropus. Quemadmodum neque si *Cæli* sit proprium, ut accipiamus de sepulchro Cœlii Mantuani, qui, omnibus consumptis, tantummodo spatium reservârat, quod sepulchro sufficeret.

12 Sect. *Præterea in allegoria observandum oratori, ut si obscurior sit, proprium admisceat ad claritatem.*

Quomodo

Quomodo Cicero 1. Top. inquit, *Sed quoniam avidum hominem ad has dicendi epulas recepi, sic accipiam, ut reliquiarum sit aliquid potius, quàm te hinc patiar non satiatum discedere.* Atque ita & Plato dixerit VII. de Rep. ἐπὶ πᾶσι λόγων καλῶν, καὶ σκέψεων. (a) At pura fuerit allegoria, si omittatur in Cicerone verbum *dicendi*; nempe hoc pacto, *ad has epulas recepi*, &c.

(a) Victorium lib. 2. var. lect.

13 Sect. *Sequitur* KATAXPHΣIΣ, *sive Abusio, quæ tropi est duritiei. Nam ita vocatur quando vox aliqua licentius à propria significatione ad alienam deflectitur.*

Ita ut, non deduci, sed irruere; non precariò, sed vi venire videatur. Vide sup. cap. IV. Sect. 6.

14 Sect. *Interdum verò abusio vocis ex origine ejus cognoscitur: interdum item ex rei natura.*

Ex orgine vocis, ut in illo pro lege Maniliâ; *Postea quam maximas ædificasset, ornasseté, classes*, & apud Cæsarem lib. III. de bello Gal. *Naves interim longas ædificari in flumine Ligeri.* Similéque hoc Maronis II. Æn.

Instar montis equum divina Palladis arte
Ædificant.

Ex natura rei intelligitur καταχρήσις, cùm splendor tribuitur voci. Ut apud Tullium de Senectute; *Omnino canorum illud in voce splendescit,*

splendescit, etiam nescio quomodo in senectute. Item cùm Maro (*a*) *stagnum* dixit de mari; quomodo & Græci appellant λίμνην.

(*a*) Æn. 115. Æn. 381.

15 Sect. *Fit κατάχρησις, vel necessitatis, vel delectationis causâ. Posterius genus vix invenias alibi, quam apud poetas. Prius etiam oratoribus est concessum.*

(*a*) Homer. Il. Oppian. 2. Κάσηγ. 131.

Prioris generis est, cum dicimus pyxidem anream, vel argenteam; licet pyxis propriè sit è buxo, ut etymologia indicat.

Posterioris generis est illud Horatii lib. IV. od. 4.

——— *Vel Eurus*
Per Siculas equitavit undas.

Quæ, ut rectè Muretus (*b*) observat, audax planè translatio est; neque unquam id ausurus fuerat poëta sine veterum exemplo; sed similiter dixit Euripides Phœnissis: Ζεφύρου πνοαῖς ἱππεύσαντος ἐν οὐρανῷ. Quem & Appianus postea imitatus tertio Αλίευτ.

(*b*) Lib. I. Var. c. 10.

16 Sect. *Tertio affectio est* Ὑπερβολὴ, *quod ad verbum superjectionem, hoc est excessum, sive eminentiam notat. Estque oratio augendo, vel minuendo, superans fidem.*

Augendo, ut quod Cicero, (*c*) & ex eo Fabius (*d*) refert de Memmio, Homine prælongo, *caput eum ad fornicem Fabii offendisse.* Et apud Maronem. (*e*)

(*c*) Lib. 2. de Orat.
(*d*) l. 6. c. 3
(*e*) Ecl. 7.

Candidior cygnis, hederâ formosior albâ:

Item

Item, *melle dulcior, plus millies audivi,* & similia.

*Ecl.7. Minuendo, ut cùm ait Maro, * *Vix ossibus hærent.*

Item in illis, *Codro pauperior, testitudine tardior,* &c.

17 Sect. *Facit* ὑπερβολὴ *ad* ἔμφασιν.

* Lucanus lib.10. Ut cum * poeta ait.

Nulla fides, pietásque viris, qui castra sequuntur; ἐμφατικώτερον hoc, quàm si dixisset, *Rara fides.* Item, * *Nusquam tuta fides.* Efficacius, quàm istud, *Raro tuta fides.* Et illud satyrici. *

*4.Æn.5. Juvenal. *sat.6.

Semper habet lites, alternáque jurgia lectus, in quo nupta jacet.

Majorem habet ἔμφασιν, quàm si pro *semper* dixisset *plurimum.*

18 Sect. *Hæc causa est, cur in amplificando eâ utamur, non quidem ut fallimus, sed ut per planè incredibile, intelligatur penè incredibile. Interim videndum, ne ea modum omnem excedat; qua in re peccant adulatores.*

CAP. X.

De Sarcasmo, aliisque irrisionis speciebus; item Onomatopoeïa, Antiphrasi, & Hypallage.

1 Sect. Et *hæc de troporum, tum speciebus, tum affectionibus. Subjiciemus deinceps quædam,*

quæ

quæ falso inter tropos retulerunt. Ut sunt sex species irrisionis, Sarcasmus, Diasyrmus, Charientismus, Astcismus, Mycterismus & Mimesis.

2 Sect. *Sarcasmus est hostilis irrisio super jam mortuo, aut certò morituro.*

Ut, *Ave Rex Judæorum.* * *Mat. 27. 29.*

Item. * *Æn. 9.*

I, verbis virtutem illude superbis.

3 Sect. *Diasyrmus est inimica irrisio, sed extra cædem.*

Ut, *Asinus ad lyram, Interstrepit anser olores.* * *Ecl. 9.*
& illo, sanè luculento. * *Æn. 11.*

Larga quidem semper Drance, tibi copia fandi,
Tunc cum bella manus poscunt, patribusq; vocatis
Primus ades; sed non replenda est Curia verbis.

4 Sect. *Charientismus à lepore ac gratiâ nomen accepit. Estque jocus cum amœnitate mordax. Vel, ut alii malunt fit, cùm dura & aspera dictu gratiosis & mollibus verbis mitigantur, & molliuntur.*

Ut, cum Davus pistrinum deprecans ait * *Bona verba quæso.* Simile huic, * *Dii meliora.* * *Andr. Act. 1. sc. 2.* * *Georg. 3.*

5 Sect. *Astcismus est jocus urbanus.*

Ut, * *Qui Bavium non odit, amet tua carmina, Mævi.* * *Ecl. 3.*

Atque

Atque idem jungat vulpes, & mulgeat hircos.

H. E. Qui Bavium, ineptum poetam, amare poteſt, idem exoſculetur te, Mævi, poetam Bavio quoque deteriorem. Eſt & ejuſce generis illud Neronis in ſervum furacem: *Nihil eſſe ei clauſum, neque ſignatum.*

6 Sect. Μυκτηριὸς *fit, cum naſo ſuſpenſo quempiam ſubſannamus.*

Quod & nomen indicat. Nam μυκτὴρ naſus. Cùm autem geſtu magis, quàm verbis fiat: non eſt, quod ejus quis exemplum à nobis exſpectet.

7 Sect. Μίμησις, *Latinè imitatio, aliena verba refert directâ oratione, idque, ut volunt, deridendi cauſâ.*

Terent. (*a*)

(*a*) Eun. Act. 1. ſc. 2. *At ego neſciebam quorſum tu ires, Parvola*
Hinc eſt abrepta, eduxit mater pro ſua,
Soror eſt dicta: cupio abducere ut reddam ſuis.

8 Sect. *Quemadmodum autem ſpecies haſce irriſionis (quas ironiæ ſubjici putarunt) falſò inter tropos referunt, cùm & propriis conſtent verbis: ita, hac ipſa de cauſa & alia multa troporum numero excludi debent, quæ vulgò inter tropos reponuntur. Eorum autem duo ſunt genera.*

9 Sect. *Quædam enim ſunt ſchemata Rhetorica, ut* Periphraſis *&* Icon; *de quibus iccirco in*

χημα τολογία dicturi ſumus; quædam nec tropi ſunt, nec ſchemata, ut Ἐπίθετον, de quo in amplificandi temque characterum doctrina agemus; quædam denique ad Grammaticam potiùs pertinent; idque vel ad ἐτυμολογίαν, ut Ονοματοποῖα & Ἀντίφρασις, vel ad σύνταξιν, ut Ὑπαλλαγή.

10 Sect. *Siquidem* ὀνοματοποῖα *nihil aliud eſt quàm nominis fictio à ſono.*

Ut, *balare*, *gruniire*, &c. Quidam putant ita vocari, quandocunque rei novum inditur nomen. Sed hi non diſtinguunt ὀνοματοποιΐαν à novatis.

11 Sect. Ἀντίφρασις eſt *vox à contrario dicta.*

Iſtiuſmodi, ex Grammaticorum ſententiâ, cum alia plurima ſunt, tum *Parcæ*, & *lucus*. At *Parcæ* fortaſſe ita dictæ, quia parcant. Duæ enim parcunt, ſola Atropos filium abſcindit*. *Lucus* vel ita vocatus, quia lucet frequentibus ſacrificiis, vel potiùs eſt à Græcis, (*a*) quibus λόχος, *inſidiæ*, unde λοχαῖος, (*b*) *ſylva*, quia inſidiantibus ſit apta.

* Fuſius de hoc agimus in Originum libris.

(*a*) Quam quam Syriacum malit Scoppas in conjectaneis lib. 1. c. 18.

(*b*) Heſychius.

12 Sect. *Hypallage eſt ſchema Grammaticum, quo rerum ordo invertitur.*

Ut apud Cicer. (*c*) *Gladium vaginâ vacuum in urbe non videmus.* Pro *vaginam gladio vacuam.* Poetis eſt frequens. Ut apud Senecam Thyeſte (*d*)

Brutium ponto feriente Corum.

Quod maluit, cùm poſſet,

(*c*) Pro Marcello.

(*d*) ve. 577

Brutio

Brutio pontem feriente Coro.
Et hæc de Tropologia.

CAP. XI.

De Schematibus generatim; deque iis speciatim, quæ defectu, aut excessu, figurant orationem.

1 Sect. *Altera dignitatis pars in schematibus, sivè figuris versatur. Est vero schema, forma orationis, quæ hæc alio quopiam modo, quàm inversione significationis, à vulgari consuetudine immutatur in meliorem.*

Schematis, & figuræ voces, cùm propriè dicantur de histrionum amictu, ac gestibus; è theatris traductæ videntur in scholas Rhetorum. Nam ut in illis histriones, sive actores scenici, pro personarum, quas sustinent & affectuum qui representari debent, varietate, varios induebant habitus, variósque agebant gestus; ita & oratio, pro rerum, de quibus agitur, diversitate, schematibus diversis, tanquam colorato amictu vestitur, ac quasi gestibus diversis animatur.

2 Sect. *Schemata sunt duplicia, verborum, & rerum.*

Græcis, λέξεως, καὶ διανοίας.

3 Sect. *Inter ea hoc interest, quòd schemata verborum tollantur, si aut verba mutentur, aut ordo*

ordo eorum invertatur: ac ſchemata rerum, quibuſcunque utaris verbis, aut quocunque ea ordine ponantur, permaneant; quia non in verbis ſed in rebus quandam habent dignitatem, vimque ornandæ orationis.

E. G. *Inceptio eſt amentium, haud amantium*, λέξεως σχῆμα eſt; quia perierit ſchemata, ſi pro *amentium* ponas *ſtultorum*, aut ſimile. Sed ſchema διανοίας eſt, ſi quis patriam inducat loquentem, aut ſi utatur ſimilitudine; quia quæcunque hìc verba uſui pemus, aut quocunque ea ordine collocemus, manebit ſchema.

4 Sect. *Verborum ſchemata ſunt triplicia, quædam conſiſtunt in ſubticentia, ſive defectu; quædam in eccleſſu; quadam in reliquo corpore orationis.*

5 Sect. *Subticentiâ figurantur, Ellipſis, & Aſyndeton; quorum definitiones è Grammaticis notæ eſſe debent.*

Nempe Aſſyndeton copulæ eſt defectus; Ellipſis verò alius partis, aut particulæ; quod & Græca ſcholia, quæ de ſchematibus exſtant, oſtendunt. In iis eſt; Ἀσύνδετόν ἐστι σχῆμα, ἐν ᾧ παραλείπονται οἱ συνδέοντες σύνδεσμοι. Ἔλλειψις δέ ἐστι παράλειψις λέξεως ἀναγκαίας ἐν τῇ συμφορᾷ.

6 Sect. *Rhetoris verò eſt inſuper docere, quando exornent orationem. Ac Ellipſis quidem convenit exprimendo affectus.*

Ita-

Ita admirationem indicat hoc Virgilii,

Sed vos qui tandem? ubi omittitur, *estis.*

7 Sect. *Asyndeton autem valet ad celeritatem, atque animi impetum significandum.*

Virgil. IV. Æn.

Ferte citò flammas, date tela, impellite remos.

8 Sect. *Item cum plura enumeranda sunt, quorum singula per se gravia sunt.*

Terent. Adel.

Tot res repente circumvallant, unde emergi non potest.
Vis, egestas, injustitia, solitudo, infamia.

(a) Act. 3. Sc. 4. Item. (a)
Persuasit nox, amor, vinum, adolescentia.
Humanum est.

(b) Act. 3. Sc. 1. Apud Plaut. Asin. (b) Philenium meretrix ait.
——Mater, is quæstu'st mihi.
Lingua poscit, corpus quærit, animus orat, res monet.

9 Sect. *Excessu figurant orationem, Pleonasmus, & Polysyndeton; quorum ille Ellipsi, hoc Asyndeto opponitur.*

10 Sect. *Pleonasmus valet ad Emphasin.*

(c) 4. Æn. Ut illud, (c) *——Vocémq; his auribus hausi:* quod rem certam indicat. Item, *Ubinam gentium est?* Et, *Accipe hoc parvum munusculum*

lum: quorum illud magis exaggerat, hoc magis extenuat.

11 Sect. *Polysyndeton facit, ut res ipsa, de qua agitur, videatur major.*

Cicer. **Me præ cæteris, & colit, & observat, & diligit.* Item *, *neque privati quicquam, neque publici; neque profani, neque sacri in Sicilia reliquisse.*

* In epist. * In Verrem Act. 6.

CAP. XII.

De Schematibus ΑΕΊΞΙΟΣ, quibus eadem vox repetitur.

1 Sect. Schemata, *quæ in reliquo sunt corpore orationis, vel eandem ponunt vocem, vel similes.*

Eandem, ut *amans amantem*; similes, ut *amantes amentes.*

2 Sect. *Vox eadem est, vel solâ appellatione, vel sola significatione; vel appellatione, & significatione simul.*

Appellatione solâ, ut *veniam* nomen, & *veniam* verbum.

Significatione sola, ut *domus*, & *ædes.*

Appellatione, & significatione simul, ut *homo homini Deus*, & *homo homini lupus.*

3 Se. Ἀνταλλαγὴ *dicitur, cum usurpatur vox eadem*

eadem appellatione, non significatione.

Cicero epist. III. lib. VII. ad Att. *Caußam solùm illa causa* (Cæsaris) *hon habet.* Et epist. XIV. lib. XIV. ad eundem: *Quid ergo? ista culpa Brutorum? minime illorum quidem, sed aliorum brutorum, qui se cautos, ac sapientes putant.* Sic in tribus istis apud Cornificium: *Cur eam rem tam studiosè curas, quæ multas tibi dabit curas?* Item *Amari jucundum est, si curetur, ne quid insit amari.* Item: *Veniam ad vos, si mihi senatus det veniam.*

4 Sect. *Magnam in oblectando vim habet, præsertim, non captata, sed velut oblata.*

5 Sect. *Huc pertinet* Πλοκὴ, *quando vox uno loco personam, aut rem; altera mores aliámve qualitatem significat.*

E. G. *Ad illum diem Memmius erat Memmius*, h. e. sui similis. *Simia est simia, etiamsi aurea gestat insignia.*

6 Sect. *Schema hoc non venustatem tantum, sed etiam acrimoniam addit orationi.*

7 Sect. *Voces non appellatione, sed significatione easdem conjungunt.* Συνωνυμία *sive interpretatio, &* Ἐξεργασία *sive Expolitio.*

8 Sect. Συνωνυμία *est, cùm verba idem significantia conjunguntur.*

Ut Cic. Catil. II. *Abiit, excessit, evasit, erupit.* Initio Catil. III. *Bona, fortunas, conjuges liberósque vestrum.* Nam *bona, & fortunæ* idem sunt. Philipp. V. *Promitto, recipio, spondeo.*

9 Sect.

9 Sect. *Utimur eo genere elocutionis, quoties uno verbo non satis videmur dignitatem, aut magnitudinem rei demonstrare: idcoq; in ejusdem significatione plura conferuntur.*

Verba sunt Aquilæ Romani.

10 Sect. *Conciliat vero orationi tum gravitatem, tum acrimoniam.*

Gravitatem quidem adfert in illo Ciceronis, pro Muræna; ubi octo, vel amplius συνωνυμίας exempla habemus, *Quæ precatus sum à Diis immortalibus, judices, more institutoq; majorum, illo die, quo auspicatò, comitiis centuriatis L. Murænam consulem renuntiavi: ut ea res mihi, magistratuique meo, populo plebíque Romanæ, bene atque feliciter evenerit: eadem precor ab iisdem Diis immortalibus, ob ejusdem hominis consulatum unâ cùm salute obtinendum, & ut vestræ mentes, atque sententiæ, cum populi Romani voluntate, suffragiisq; consentiant, eaq; res vobis populoque Romano, pacem, tranquillitatem, otium, concordiam adferat.* At acrem reddit orationem in illo Catilin. 1. *Non feram, non patiar, non sinam.* Item in Pisonem: *Ego te non vecordem, non furiosum, non mente captum, non tragico illo Oreste aut Athamante dementiorem putem?* Et post multa; *O tenebræ, ô lutum, ô sordes!*

11 Sect. *Estque magno in hoc schemate delectu verborum opus, ne συνώνυμα orationem onerent veriùs, quàm ornent.*

12 Sect. Ἐξεργασία *est sententiarum idem significantium.*

Ut

Ut Cic. pro Ligario: *Quid enim tuus ille Turbero in acie Pharsalica gladius agebat? cujus latus ille mucro petebat? quis sensus erat armorum tuorum? quæ tua mens, oculi, ardor animi? quid cupiebas? quid optabas?* Quo in exemplo etiam Synonymia concurrit.

13 Sect. *Utendum est* Ἐξεργασία, *cùm prodest in aliqua re commorari, & diutius detinere auditorem: ut cùm asseveramus, indignamur, dolemus, commiseramur, aut exprobramus aliquid. Lætitiæ quoque convenit. Sed cavendum, ne in re tenui variandâ, curiosam nimis, & superfluam operam ponamus, quod vitium* περεργία *vocatur.*

14 Sect. *Schemata, quæ usurpant vocem & appellatione & significatione eandem, partim varium nomen sortiuntur pro diverso vocis repetitæ situ, partim aliunde.*

15 Sect. *In iis quæ situs ratione variant, repetitio fit, vel loco ejusdem generis, ut in* Ἀναφορᾷ, Ἐπιφορᾷ, Συμπλοκῇ, *& repetitione medianâ: vel loco diversi generis, ut in Epanalepsi, Anadiplosi, repetitione principii, vel clausulæ in medio, & Epanodo.*

16 Sect. Ἀναφορὰ *est repetitio ejusdem vocis in principio.*

17 Sect. *Magnam orationi vim addit. Unde affectibus inservit: præcipuè, cùm alterum insectamur, vel etiam laudamus.*

In insectando quidem, ut apud Tullium. Catil. 1. *Nihil te nocturnum præsidium palatii, nihil urbis vigiliæ, nihil consensus bonorum omnium, nihil hîc munitissimus habendi senatus locus, nihil horum ora vultusque moverunt.*

Alterius

Alterius autem generis est hoc Maronis 1. Æn.

(vemq;
Tu mihi quodcunq; hoc regni, tu sceptra, Jo-
Concilias, tu das epulis accumbere Divûm.

Et Juvenalis lib. III. sat. II.

——Roma parentem,
Roma patrem patriæ Ciceronem libera dixit.

18. Sect. *Nec tantum unum vocabulum sed plura etiam initio repetuntur.*

Nempe in superiori Anaphoræ descriptione intelligenda vox non incomplexa solùm, sed etiam complexa. Ac similiter in sequentibus schematibus accipere oportet. Ovidius lib. II. de Ponto El. XI.

(rigabas
Grande voco meritum lachrymas, quibus ora
Cùm mea concreto sieca dolore forent.
Grande voco meritum mœsta solatia mentis.
Cùm pariter nobis illa, tibique dares.

Idem lib. IV. de Ponto el. III. quatuor continua districha, ac unum item pentametrum, incipit ab illis duobus verbis, *Ille ego.* Etiam Arnobius, lib. I. undecim periodus inchoat ab istis, *Unus fuit è nobis.*

19. Sect. *Quod opponuntur, eleganter duplicatur Anaphora.*

Cic. in exordio orationis pro Rosc. Amer

mer. " Accusant ii, qui in fortunas hujus " invaserunt: causam dicit is, cui præter cala- " mitatem nihil reliquerunt. Accusant ii qui- " bus occidi patrem Sexti Roſci bono fuit: " causam dicit is, cui non modo luctum mors " patris attulit, verum etiam egestatem. Accu- " sant ii, qui hunc ipsum jugulare summè cupi- " erunt: causam dicit is qui etiam ad hoc ip- " sum judicium cum præsidio venit, ne hic " ibidem ante oculos vestros trucidetur. De- " nique accusant ii, quos populus posçit: cau- " sam dicit is, qui unus relictus ex illorum ne- " fariâ cæde restat.

20 Sect. " Επιφορὰ, sive ἐπιστροφὴ * est repe- " titio ejusdem vocis in clausulis. Eademq; " quam ἀναφορὰ, vim habet.

Ut, " Pœnos populus Rom. justitiâ vincit, " armis vincit, liberalitate vincit. *Item* Frumen- " ti maximus numerus è Galliâ, peditatus am- " plissimæ copiæ è Galliâ, equites numero " plurimi è Gallia.

21 Sect. " Quod si ἀναφορὰ, & ἐπιφορὰ con- " currant, Συμπλοκὴ * vocatur. Hoc sche- " ma ferè κατ' ἐρώτησιν instituitur: eaq; " res efficit, ut non venusta solùm, sed etiam " vehemens sit oratio.

Cic. "Quis eos postulavit? Appius. Quis produx- " it? Appius. *Item*: Quem Senatus damnavit, " quem Pop. Rom. damnavit, quem omniũ existi- " matio damnavit, eum sententiis vestris absol- " vetis? Neque id simplicibus tantum ver- bis fit, sed etiam conjunctis. Uti ἐπιστροφῆ ratione fit in illo Arnobii lib. 1. *Quan-*

do

do est humanum genus diluviis interemptum? non ante nos? "Quando mundus incensus? "non ante nos? Quando urbes amplissi- "mæ marinis coopertæ sunt fluctibus? non "ante nos? Quando cum feris bella, & præ- "lia cum leonibus gesta sunt? non ante nos? "Quando pernicies populis venantibus ab an- "guibus data est? non ante nos?

22 §. *Valet in exaggerandis virtutibus, ac vitiis, Estque schema planè venustum, at quod statim in sensus incurrat: ac propterea diutius continuari non debet, sed satius est, ut altis schematis varietur, ac temperetur.*

23 Sect. *Medianam repetitionem appello, cum media mediis respondent.*

Vt illo milonianæ: *Quæ in senatu sæpe ab inimicis, ab improbis sæpe jactata sunt.* Sic Seneca Thyeste: *

Quem dies vidit veniens superbum, * *Act.* 4.
Hunc dies vidit veniens jacentem. *v.* 613.

24. Sect. Ἐπαναλῆψις *est repetitio ejusdem vocis initio præcedentis, & fine sequentis sententiæ.*

Cicero epilogo orat. pro Milone. "Negat enim "se negat ingratis civibus feciſſe, quæ fecit: ti- "midis, & omnia circũspicientibus pericul, non "negat. Idem in *Varr.* Tenetur aliquando & in "rebus tum maximis, tum manifestis tenetur. "Et apud magistrum Herennianum: "Commo- "tus non es, cum tibi pedes mater amplexare- "tur: non es commotus? *Ovid. Fast. lib.* VI.

Qui bibit inde, furit: procul hinc discedite, quæ est
Cura bonæ mentis; qui bivit inde, furit.

25. §. Ἀναδίπλωσις *est repetitio in fine præcedentis, & initio sequentis sententiæ.*

Virgil. x. Æn.

——— *Sequitur pulcherrimus Aster,*
Aster equo fidens. Poliptoto etiam permutatur, ut in illo pro S. Roscio: "Injuriam novo "scelere conflatam putant oportere defendi: de- "fendere ipsi propter iniquitatem temporum "non audent.

26. §. *Figura hæc non tantum suavitatem, sed etiam ἔμφασιν habet. Quod si conjungatur epanorthosi, sive correctioni, habet quoque acrimoniam.*

Cicero in vect. 1. in Catill. *Hic tamen vivit? Vivit? imo in senatum venit.*

27. §. *Est & figura ἀνάνυμος cum media aut principia, aut clausulæ respondent.*

Principio ut illo Maronis VI 1. Æn.
Te nemus Angitiæ, vitrea te Sucinus undâ,
Te liquidi flevere lacus.
Clausulæ, ut in Verrinis: *Hæc navis onusta prædâ Siciliensi, cum ipsa quoque esset ex præda.*

28. § Ἐπάνοδος *est, cum, quæ priori erant posita loco, posteriori; quæ posteriori, priori loco repetimus.*

Cic. pro Planco: *Gratiam qui refert, habet: & qui habet, eo, quod habet, refert.* Velleius Paterculus de Quinctilio Varo: *Pecuniæ quam*

quam non contemptor, Syria, qui præfuerat declaravit : quam pauper divitem ingressus, dives pauperem reliquit. Ubi & πολύπτωτον. Pertinet hæc figura etiam ad schemata διανοίας, vocaturque ἀντιμετάθεσις, ut inferius dicimus.

29. §. "Vidimus ea repetitionis schemata, in quibus tantum locus spectatur. Sequuntur, in quibus non tam situs consideratur, quam vel pronunciationis vehementia, ut in Epizeuxi; vel connexio cum superioribus, ut in Gradatione; vel casus variatio, ut in Polyptoto.

30. §. "Est enim Επίζευξις cum vos aliqua repetitur cum vehementia.

Cicero * *Vos, vos inquam, & senatus frequens restitit.* Idem † : *Non est, non est vobis, Quirites, cum hoste certamen, cum quo aliqua pacis possit esse conditio.* Seneca in Medea*; *Da, da per auras curribus patris vehi.*

31. *S. Interdum autem hæc vocabula aliquæ : vel παρεμβολῆ vel παρένθεσι intersecatur.*

Vocula una est in illo Ciceronis : *Vidi enim, vidi, penitusque perspexi.* Et hoc Senecæ initio Medeæ : *Parta, jam parta ultio est.* Et act. IV. *Majus his, majus parat Medea monstrum.* At παρένθεσις interseritur † in illo Tullii pro domo sua. *Sed excitatus aliquando (dicam audiente ipso, quod sensi, & sentio) excitatus inquam, aliquando Cn. Pompeii nimirum reconditus, penitus abstrusus dolor.* Sic Philip. II. *Hasta posita pro æde Jovis Statoris, bona (miserum me!*

* Pro post.
† Philip. 4. Sc. 1.
* Sc. 1.
* In exemplis tamen, ubi repetitio post parenthesin ob solam sit sermonis perspicuitatem, Epizeuxis dici non meretur Cujusmodi exempla ab allatis discernere dificile non erit.

me, consumptis enim lachrymis, tamen infixus animo hæc & dolor) bona inquam, Cn. Pompeii Magni, voci acerbissimæ subjecta præconis.

32 §. *Utimur Epizeuxi ut aliquid ἐμφατικῶς. aut παθητητικῶς dicamus.*

33. §. *Gradatio sive* Κλίμαξ *est, cum ita ab uno ad aliud transimus; ut eodem verbo connectamus inferiora superioribus.*

* Lib. 2. Originum cap. 21. *In vulgaris, atq; etiam Mitis meis, invenio *gratis coactus*, Sed dupliciti errore; nam & *gratis* pro *ingratis* corrupte, & *coactus* est ex glossemate.

Scipio Africanus apud Isidorum *: "Vi, atque ingratiis *, cum illo sponsionem feci, facta sponsione ac judicem adduxi, adductum primo cœtu damnavi, datum ex voluntate dimisi. *Ex eodem Africano idem adducit*: Ex innocentia nascitur dignitas, ex dignitate honor, ex honore imperium, ex imperio libertas: *Idem ex Græco citat:* Pueritia tua adolescentiæ tuæ inhonestamentum fuit, adolescentia senectutis dedecoramentū, senectus reip: flagitium. *Apud Cornificium istud habes:* Africano industria virtutem, virtus gloriam, gloria æmulos comparavit. *Item.* Nam quæ reliqua spes manet libertatis, si illis & quod libet, licet: & quod licet, possunt; & quod possunt, audent; & quod audent, vobis molestum non est?

34. §. *Schema hoc multum habet venustatis: sed quia ut Fabius ait, apertiorem artem continet, rarius adhibendum; nec fere, nisi res ipsæ habeant successionem, aut gradus: ut in genealogiis, imperiorum successionibus, ac similibus.*

35. §. *Polyptoton est, cum idem verbum variato casu ponitur. Casus autem vocum accipio Logicorum more, ut comprehendat variationem omnem ratione generis, numeri, graduum, modorum, temporum, personarum.*

35. §. *Schema,*

36 Sect. *Schema hoc quandoque simplicem & inaffectatam quandam venustatem adfert.*

Ut illo Ciceronis pro Roscio Amerino: "Si quis istorum dixisset, quos videtis adesse, in quibus summa auctoritas est, atq; amplitudo: si verborum de Rep. feciſſet, id quod in hac causa fieri necesse est, multa plura dixisse. quam dixisset, putaretur, ego etiam si omnia, quæ dicenda sunt, liberè dixero, nequaquam tamen similiter oratio mea exire, atque in vulgus emanare poterat. Nec inconcinni sunt versiculi isti viri eruditi, quibus idem nomen per casus omnes, ordine suo variavit: quanquam schema hic non tam se obtulerit sponte quàm studio sit quæ situm:

Cum vanitas sit vanitatis filia,
Et vanitati vanitatem procreet,
O Vanitas quid vanitate vanius!

37 §. *Sæpe etiam hoc schema vehementiam adfert.*

Cicero pro Archia: *Sed pleni sunt omnes libri, plenæ sapientum voces, plena exemplorum vetustas,* Virgil. IV. Æn.

Littora littoribus contraria fluctibus, undas
Imprecor, arma armis, pugnent ipsiq; nepotes.

CAP. XIII.

De Schematibus in verbis similis soni.

1. §. *Et hæc repetitionis figuris. Sequuntur schemata, quæ respiciunt similitudinem*

Similitudo verò ea vel ineſt à natura ſive ortu, vel ab accidente.

* Latinis licitur, De ivatio.

2 §. *Naturalis eſt in παρωνυμίῳ* *. *Conjungit enim voces, quarum una ab altera derivatur. Ac plurimùm ad delectandum valet.*

* Act. 1. ſc. 1. Qui * Rudente ſc. homo. * Rud. ſc. quid iſtud.

Cicero in Lælio : *Sed ut tum ad ſenem ſenex de ſenectute : ſic in hoc libro ad amîcum amiciſſimus de amicitiâ ſcripſi.* Et eodem : *Et enim eo loco locati ſumus.* Plautus Perſa * : *Qui hero ſuo ſervire vult bene ſervit ſervitutem.* Atticiſmus eſt ; ut illud ejuſdem, *vomitum vomis* *, *ſomniavi ſomnium* *, & alia multa apud eundem.

3 §. *Accidentaria ſimilitudo ad minimùm eſt quadruplex. Fit enim vel ab immutatione vocis in ſimilem appellatione, non ſignificatione, ut in παρονομασία: vel à poſitione diverſarum vocum eodem in caſu, ut in Ὁμοιοπτώτῳ : vel à ſono eodem in clauſulis, ut in Ὁμοιοτελεύτῳ vel redditione unius pluriumve ſyllabarum in quacunq; parte, ut in Παρηχήσει Docent, id ſingulorum ſchematum definitiones.*

4 Sect. *Eſt enim Παρονομασία ſive Agnominatio; cum parvâ verbi immutatione in aliam planè ſententiam deflectitur oratio.*

* Act. 1. Andr. c. 3.

Terentius* : *Inceptio eſt amentium, haud amantium.* Sic in veteri dicto ; *Septem convivium, novem convicium.* Quamquam Varro, ut obiter id dicam, nec nonum improbârit convivam. Nam volebat convivas intra gratiarum & Muſarum numerum conſiſtere ; ut nec pauciores eſſent, quàm tres ; plures, quàm novem. Elegans etiam παρονομασία eſt in iſtoc, quod Apollodorus Athenienſis, pictor præclarus, operi ſuo adſcripſerat ; Μανή-

Μωμήτη ταὶτις μᾶλλον, ἤμιμήσεται * ;

* Calcab aliquis ho magis, qu Imitabitur

5 Sect. *Schema hoc non tantum delectat, sed vehementius etiam pungit.*

Cicero Philip. 13 de Antonio; *Cum in gremiis mimarum mentam, & mentem deponeres*; Seneca Troad.

O Tumide rerum dum secundaram flatus
Extollit animos; timide, cum increpuit metus
Regum.

Tertullianus lib. de spectaculis cap. 25. *Quid est enim de Ecclesia Dei in diaboli Ecclesiam tendere? de cœlo, quod aiunt, in cœnum.*

6 Sect. Ἀμοιόπτωτον, *sive similiter cadens est, cum in eadem, constructione duo, aut plura sunt verba, quæ iisdem casibus efferuntur. Casus autem voco non tantum nominum, pronominum, aut participiorum, sed etiam verborum.*

Cic. pro leg. Manil. Ac primum quanta innocentia debent esse Imperatores! quanta deinde omnibus in rebus temperantia; quanta fide! quanta felicitate! quanto ingenio! quanta humanitate! *Idem pro Archia:* Hunc ego non diligam? non admirer? non omni ratione defendendum putem?

7. Sect. *Nec tantum in fine deprehenditur; sed etiam media primis, aut summa mediis accommodantur.*

Cic. 1. Accus. in Verr. *Est idem Verres, qui fuit semper, ut ad audendum projectus, sic paratus ad audiendum.* Ὁμοιόπτωτα *sunt, audendum. audiendum paratus projectus.*

8. Sect. Ὁμοιοτέλευτον *sive similiter desinens est cum cola, aut commata, simili sono terminantur.*

Cic. pro Mil. " non modo ad salutem ejus ex-
" stinguendam, sed etiam gloriam per tales viros
" infringendam. *Idem in Maniliana:* Ut ejus
" semper voluntatibus non modo cives assense-
" rint, socii obtemperârint, hostes obedierint;
" sed etiam venti tempestatesq; obsecundarint.

† Quintillianus l. 9. cap. 3.

Habet quoque locum in partibus indeclinabilibus; ut † *Ejusdem non est ut facere, & fortiter, & vivere turpiter.*

† Vt aliis vero orationis lenociniis, ita hoc etiam immmodice gaudet Apuleius. *Vt lib. de Deo Socratis*, ubi sic de genio scribit; Hic custos, singularis præfectus, domesticus speculator, individuus arbiter, inseparabilis testis, malorum improbator, bonorum probator, si rite ad extremum animadvertatur, sedulo cognoscatur, religiose colatur, in rebus incertis prospectator, dubii præmonitor, periculosis viator, egenis opitulator, qui tibi queat tum somniis, tum signis, tum etiam fortasse eorum, cum usus postulat, mala avertere, bona properare, humilia sublimare, mutantia fulcire, obscura clarare, sidera adversa corrigere.

9. §. Παρήχησις *est, cum una pluresve syllabæ vocis antecedentis, in alia ejusdem membri repetuntur.*

Plautus

Plautus Menæchmis * ; *Pallapollorem incutit.* Cicero in Milonianâ. *Vi victa vis.* Ejuſdem eſt verſus iſte, * Act. 4. ſc. 4.

O fortunatam natam me conſule Romam!

10 §. *Schemata hæc, quæ in ſimilitudine conſiſtunt, & ſi alibi quoque locum habent, imprimis tamen commendantur in ſententiis : quia & ſuaviùs influunt in animum, & diutius hærent. Sed parcè iis utendum oratori, quia faſtidium cito audienti adferunt, fidemq; abrogant orationi.*

CAP. XIV.

De Occupatione, Subjectione, Confeſſione, & Conceſſione.

1 Sect. Schematum διανοίας *alia ſunt ornamenta inventionis, alia diſpoſitionis.*

2 Sect. *Quæ inventionem ornant, vel magis ad ſimplices conceptus pertinent, vel ad affectus.*

3 Sect. *Priora vel ad explicationem, vel ad probationem, vel ad amplificationem referuntur.*

4 Sect. *Prius ſigillatim agemus de ornamentis probationis : deinde, quia plurimùm eadem ſunt ſchemata quibus nunc ad rem explicandã, nunc ad amplificandam utimur, conjunctim de utroq; genere acturi ſumus.*

5 Sect. *Probationem ornant* Πρόληψις, *ſive Occupatio,* Ὑποβολὴ, *ſive Subjectio,* Παρομολογία, *ſive Confeſſio, &* Ἐπιτροπὴ, *ſive Conceſſio.*

6 Sect.

Sect. Πρόληψις, *sive Occupatio est, cùm id quod ab adversario abjicitur, aut objici posse putamus, anticipamus atq; diluamus.*

7 Sect. *Partes ejus sunt duæ;* ὑποφορὰ, *quæ objectionem proponit,* & ἀνθυποφορά, *quæ objectioni respondet.*

E. G. Objectio est in illis Didonis apud Maronem *,

Æn. 4.

Verùm anceps pugnæ fuerat fortuna.

Ut ἀνθυποφορὰ est,——*Fuisset.*

Quem metui moritura? Itidem apud Ciceronem, orat. pro Cœlio, ὑποφορὰν habes in his verbis; *Dicet aliquis, Hæc igitur est tua disciplina? sic tu instituis adolescentes,* &c. At paulò post subdit ἀνθυποφορὰν: *Ego, si quis, judices, robore animi,* &c.

8 Sect. *Interdum vero* ὑποφορὰ *est concisa, interdum planè magnifica.*

Concisa est ista pro lege Manilia: "Requiretur forsasse nunc, quemadmodum, cùm hæc ita sint, reliquum possit esse magnum bellum? cognoscite, Quirites, non enim sine causa quæri videtur. Item pro Posthumo: " At habet, at celat, sunt enim qui ita loquuntur.

At magnificia est VIII. in Verrem: "Quod agam, judices? quo accusationis meæ rationem conferam? quò me vertam? ad omnes enim meos impetus, quasi murus quidam, boni nomen imperatores opponitur. Novi locum, video ubi se jactaturus sit Hortensius belli pericula, tempora Reip. imperatorum penuriam commemorabit: tum deprecabitur.

cabitur à vobis, tum etiam pro ſuo jure contender, ne patiamimi talem imperatorem populi *Romani Siculorum* teſtimoniis eripi, neve obteri laudem imperatoriam criminibus avaritiæ, vel litis. Hujuſmodi quoque eſt illa, à qua orationem pro *Sexto Roſcio* orditur.

9 *Sect. Requirit hæc figura ſingularem prudentiam. Siquidem videndum eſt oratori, quæ tacita ſint hominum judicia, quo propendeant animi, quid eos offendat, quid probent.*

10 *Sect. Prolepſi vicina eſt Ὑποβολὴ sive ſubjectio : qua multa, quæ pro adverſario dici poſſunt, breviter & minutatim proponuntur, atque ad ſingula breviter item reſpondetur.*

11 *Sect. Subjectio alia perfecta eſt, alia imperfecta.*

12 *Sect. Perfecta tribus partibus conſtat. Prima dicitur πρότασις, sive propoſitio. Altera tum ἀποδείξεσιν continet, sive numerationem ; tum ἀφαίρεσιν, sive remotionem. Tertia eſt. συμπέρασμα sive conclusio.*

Hiſce partibus conſtat ſubjectio illa apud Cic. orat. pro Quinctio. "Dubitatur, utrùm ſit "probabilius, *Sex.* Nævium ſtatim ſiquid debe- "retur, periturum fuiſſe: anne appellaturũ qui- "dem biennio? Appellandi tempus non erat? at "tecũ ãno plus vixit. In Gallia agi non potuit? "at & in provincia jus dicebatur, & *Romæ* judi- "cia fiebant. *Reſtat*, ut aut ſũma negligentia tibi "obſtiterit, aut unica liberalitas. Si negligentiam "dices, mirabimur: ſi bonitatem, ridebimus: neq; "præterea, quod poſſis dicere, invenio. *Satis* "eſt argumenti, nihil eſſe debitum Nævio, quod "tamdiu nihil petivit. Partes

Partes etiam universas habet in subjectione isthac per Rosc. Amer. "Rursus igitur eo-"dem revertamur, & quæramus, quæ tanta "vitia fuerint in unico filio, quare is patri "displiceret. At perspicuum est nullum fu-"isse. Pater igitur amens, qui odisset eum "sine causâ, quem procreârat. At is quidem "fuit omnium constantissimus. Ergo illud "jam perspicuum profectò est, si neque a-"mens pater, neque perditus filius fuerit; "neque odii causam patri, neque sceleris filio "fuisse. Egregium quoque exemplum est apud Demosthenem Philip. IV. Est & hujus generis exemplum, quod primo loco apud Cornificium legitur.

13 Sect. *Imperfecta Subjectio vocatur, in qua vel propositio vel conclusio, vel utraq; abest.*

Cicero pro Plancio: *Malè judicavit populus: ut judicavit, non debuit: at potuit: non feror at multi clarissimi, & sapientissimi cives tulerunt.* Hujus etiam generis sunt secundum, tertiumq; Subjectionis exemplum apud Cornificium.

* Cornificia verba sunt.

14 Sect. Multum * inest acrimoniæ, & gravitatis in hac ornatione. *Imprimis, si instituatur per anaphoram, ὁμοιοπτωτα, & interrogationem.*

Cicero de Haruspic. reip. "Tu meam do-"mum religiosam facere potuisti? ac qua men-"te! qua invaseras, qua manu? qua di-"sturbâras, qua voce? qua incendi jusse-"ras, qua lege? quam ne in illa quidem im-

punitate

" punitate tua ſcripſeras, quo palvinari? quod
" ſtupraras quo ſimulacro? quod ereptum ex
" meretricis ſimulacro, in Imperatoris monu-
" mento collocaras.

15. Sect. *Ἀνακοίνωσις, ſive communicatio eſt, qua adverſarium conſulimus, aut cum judicibus quid faciendum ſit, quidve factum oportuerit deliberamus.*

Cicero pro C. Rabirio, perduellioni reo; Tu denique, Labiene, quid faceres tali re, ac tempore? cum ignaviæ, ratio te in fugam, atque in latebras impelleret; improbitas & furor L. Saturnini in capitolium arceſſeret; conſules ad patriæ ſalutem, ac libertatem vocarent; quam tandem autoritatem, quam vocem cujus ſectam ſequi, cujus imperio parere potiſſimum velles; Publio Quinctio. Quæro abs te, C. Aquilli, Lucille, P. Quinctilli, M. Marcelle; vadimonium mihi non obiit quidam ſocius, & affinis meus, quicum mihi neceſſitudo vetus; controverſia de re pecuniaria recens intercedit. Poſtulone à prætore, an ejus bona mihi poſſidere liceat? an cum Romæ domus ejus uxor, liberi ſint domus potius denunciem? Quid eſt, quod hac tandem de re vobis poſſit videri? *Idem proCæcinna.* Quæro ſi te hodie domum tuam redeuntem coacti homines, & armati non modo limine rectoque ædium tuarum, ſed primo aditu, veſtibuloque prohibuerint, quid acturus ſis? monet amicus meus, &c.

16. Sect.

16. Sect. "Aptum est hoc schema purgationi, "multumq; habet probabilitatis. Imprimis "vero utile est confidenti, ac refellenti. Nam "si cum adversario communicemus; valebit "ad urgendam atq; extorquendam confessi- "onem. Sin cum judicibus; prodest ad eorum "animos movendos, dum vident nos in ipso- "rum æquitate fiduciam nostram collocare.

17 Sect. "Παραμολογία, sive Confessio est, cum "calide omnia adversario permittimus.

Cic. pro Ligar. Habes igitur Turbero (quod accusatori maximè optandum) confitentem reum, sed tamen ita confitentem se in ea parte fuisse, qua te, Turbero, qua virum omni laude dignum, patrem tuum. Itaque prius de vestro delicto confitiamini necesse est, quam Legatii ullam culpam reprehendatis.

18. *Sect.* "Vtimur hoc schemate, cum con- "fessio ipsi abest adversario.

19. Sect. "Ἐπιτροπὴ, sive Concessio est cum "aliquid largimur adversario, ut reliquum "feramus.

20. *Sect.* "Estque vel seria, vel ἀστειωτικὴ. Se- "ria convenit confidenti. Nam utimur ea, "cum parte concessa, nihilominus nos supe- "riores fore confidimus.

Vt illa pro Quinctio: *Non dubitavi, inquis, cum vadimonium desertum esset bono proscribere. Improbè. Veram quoniam tu id arrogas, & concedi postulas, concedamus.* Idem pro Rosc. Amer. *Esto causam proferre non potes: tametsi statim vicisse debeo, tamen de meo jure decedam;*

&

& tibi, quod in alia cauſa non concederem, in hac concedam, fretus hujus innocentiâ. Non quæro abs te, quare patrem Sex. Roſc. occiderit : quæro quomodo occiderit ? Item pro Flacco. *Tribuo Græcis literas, do multarum artium diſciplinam, non adimo ſermonis lepôrem, ingeniorum acumen, dicendi copiam : denique etiam, ſiqui ſibi alia ſumunt, non repugno : teſtimoniorum religionem & fidem nunquam iſta natio coluit.*

21 Sect. *Ironica vero invidiam conflat adverſario : preſertim quando congeriem habet variorum criminum, quæ concedi noa poſſunt.*

Ut illa IV. Verrinæ : " Verum eſto, eripe hæ-
" reditatem propinquis, prædare in bonis alienis
" nomine civitatis : everte leges, teſtamenta, vo-
" luntates mortuorum, jura vivorum : num eti-
" am patris Heraclium bonis exturbare opor-
" tuit ? *Idem Verr.* 5. Eſt tuum, eſt ingenii pru-
" dentiæque tuæ : de hoc tibi, & concedo : ſcio,
" te Romæ, cum prætor eſſes, edicto tuo poſ-
" ſeſſiones hæreditatum ad alienos, à primis
" hæredibus ad ſecundos, à legibus ad libidi-
" nem tuam tranſtuliſſe : ſcio te edicta ſuperi-
" orum omnium correxiſſe, &c.

CAP. XV.

De ſententia, noemata, & diſtributione.

1 Sect. Schemata, *quibus ad explicandum, aut exaggerandum utimur, duûm ſunt generum ; nam alia æque, alia magis, minúſve dicunt, quam in re eſt.*

2 Sect.

2 Sect. *Priora vel ſumuntur ab iis quæ eſſentialia ſunt, de re vel conjuncta, ſive in re; vel disjuncta, ſive extra rem.*

3 Sect. *De rei eſſentia ſunt cùm alia, tum genus, ſpecies, & partes.*

4 Sect. *E loco generis oriri videntur* Τρώμη *&* Νόημα.

5 Sect. Τρώμη *ſive Sententia eſt generale pronunciatum earum rerum, quas in agendo ſequimur, aut fugimus.*

Cicero primo de Off. " Si ea, quæ acceperis " utenda, majore menſura, ſi modo poſſis, jubet " reddere Heſiodus; quidnam beneficio provo- " cati facere debemus? An non imitari agros " fertiles, qui multo plus afferunt, quàm acce- " perunt? *Pro Milone*: Populi grati eſt præmiis afficere bene meritos de Reip. cives: viri " fortis, ne ſuppliciis quidem moveri, ut fortiter feciſſe pœniteat. *Seneca Rhetor proœmio* " *lib. 1. controverſ.* Minime probabili more turpe eſt docere quod honeſtum eſt dicere. *Seneca philoſoph. de vita beat. cap.* XXX. Sententiam ſemper unius ſequi, non vitæ eſt, ſed factionis, Idem lib. III. de benef. cap. 17.

" Gratum hominem ſemper beneficium delectat, ingratum ſemel. *Idem epiſt.* 1. Minus " ex craſtino pendebis, hodierno manum injeceris, *Epiſt.* LXXXIII. Otium ſine literis " *mors eſt, & vivi hominis ſepultura.*

* Cic. lib. 3. de Orat.

6 Sect. *Sententiis utitur orator ad gravitatem.* Etiam hoc habent quod ſimul docent, & delectant. Inprimis vero conveniunt hortanti, monenti, conſolanti. Sed in oratione non debent frequentari*

frequentari, ne magis vivendi præceptores quam rei actores videamur.

7. Sect. Νόημα, *seu Cogitatum, est allusio ad sententiam, sive sententia personæ accommodata.*

E. G. Gnome est, *Nihil est tam populare, quam bonitas.* At Νόημα Est cum Cic. Cæsari hoc accommodat orat. pro Lig. "Nihil habet "nec fortuna majus, quam ut possis; nec natura "tua melius quam ut servare velis quam plu-"rimos. *Item Gnome est*: Imbellium est verbis, "non armis bellum gerere. *At Noema est in illo "Livii lib.* 31. Athenienses quidem literis ver-"bisque bellum adversus Philippum gerebant. "*Item sententia est*; Satius sit offendere verbis, "quam adulando placere. *At est Noema illud "M. Senecæ lib. Contr.* Maluerim veris offende-"re, quam placere, adulando. *Hujusmodi noema "est & hoc pro Archia*: Themistoclem illum "summum Athenis virum dixisse aiunt, cum ex "eo quæreretur, Quod acroama, aut cujus vo-"cem libentissimè audiret? ejus à quo sua vir-"tus optimè prædicaretur. *Item de Senectute*: "Accipite, optimi adolescentes, veterem ora-"tionem Architæ Tarentini, magni imprimis, "& præclari viri. Nullam esse capitaliorem pe-"stem, quam corporis voluptatem, hominibus "dicebat à natura datam: cujus voluptatis avi-"dæ libidines temere & effrænate ad potiun-"dum incitarentur. Hinc patriæ proditiones, "hinc cum hostibus clandestina colloquia na-"sci, dicebat. &c.

8. Sect.

8 Sect. *A speciebus, partibus petitur* Μερισμὸς *sive* Distributio. *Fit enim hæc, cum totum in species, aut partes deducimus.*

Ut si justitiam, temperentiam, fortitudinem cæteraſque virtutes, commemorare malis, quam generatim dicere, *omnem virtutem*: item si Senatum, equites,& plebem dicas pro *universo populo Romano:* aut caput, pectus, ventrem, artus hominis, non contentus dicere, integrum hominis corpus. *Sic* in Piſon. "Age ſenatus "odit te, quod eum tu jure facere concedis, "afflictatorem & proditorem, non modo "& dignitatis, autoritatis, ſed omnino ordi- "nis ac nominis ſui. Videre te equites Rom. "non poſſunt, quo ex ordine vir præſtantiſ- "ſimus Actius eſt: te Conſule regulatus. "Plebs Romano perditum cupit, in cujus tu "infamiam, ea quæ per latrones, & per ſervos, "de me egeras, contuliſti. Italia cuncta exſe- "cratur, cujus idem tu ſuperbiſſima decreta, "& preces repudiaſti. *Lycurgus apud Rutilli- "um Lupum*: Cujus omnes corporis partes ad "nequitiam ſunt appoſitiſſimæ; oculi ad petu- "lantem laſciviam, manus ad rapinam, venter "ad aviditatem, virilis naturæ membra, quæ non "poſſumus honeſtè appellare, ad omne genus "corruptibile, pes ad fugã: prorſus ut aut ex hoc "vitia, aut ipſe ex vitiis, ortus videatur. Simile eſt hoc Julii Pollucis apud Philoſtratum; "Prote- "us Pharius miraculum Homericum eſt, multæ "quidem ejus diverſæque formæ; in aquam "attollitur, in ignem accenditur, in leonem ex- "candeſcet, in ſuam ruit, ſerpit in draconem, "aſſilit in pantheram, aſſurgit in arborem.

Breviter.

Breviter dicere poterat, Proteum in omnis se generis formas convertere.

9 Sect. *Distributio ut quandoque est necessitatis, ita sæpe ornatûs, copiæ causa instituetur.*

Sed necessario fiat, potius ad inventionis argumenta, quam elocutionis schemata pertinebit.

CAP. XVI.

De Ætilogia, Diatyposi, & Hypotyposi.

1 Sect. Vidimus *schemata orta è locis rerum quæ essentiam spectant.*

2 Sect. *Conjuncta sive in re sunt causa, effectus & adjuncta.*

3 Sect. *A causa petitur* Αιτιολογία. *Fit ea, cum in narrando facti ratio adjicitur. Eleganter autem fit cum gradatione.*

Vt in illo Ovidii.
Viderat hanc, visamque, cupit, potiturque cupitâ.

2 Sect. *Quod si causa sit magis speciosa, quam vera, Color dicitur.*

Vt apud Cic. pro lege Manil. ubi cum orator veram impeditæ victoriæ causam referre nollet, (erat ea seditio militum, Lucullum, ducem suum, deserentium) rei fœdæ hujusmodi addit colorem: *Noster exercitus & urbem*

urbem ex Tigranis regno ceperat, & prœliis erat usus secundis, tamen nimiæ longinquitate, & desiderio suorum commovebatur.

5. Sect. *Ab affectis, & adjunctis sumuntur* Διατύπωσις & Ὑποτύπωσις.

6. Sect. Διατύπωσις *est cum res ita clare copioseque exponitur, ut coram spectari videatur.*

Cicero pro Roscio. Amer. " Etiamne in tam " perspicuis rebus argumentatio quærenda, aut " conjectura capienda sit? nonne vobis hæc, " quæ audistis cernere oculis videmini, judices? " non illum miserum, ignarum casus sui, re- " deuntem à cœna videtis? non positas insidias? " non impetum repentinum? non versatur an- " te oculos vobis in cœde Glacia? non adest " iste T. Roscius? non suis manibus in curru " collocat Automedontem illum sui sceleris " acerbissimi nefariæq; victoriæ nuncium? non " orat, ut eam noctem pervigilet? ut honoris sui " causa laboret? ut Capitoni quam primum nun- " ciet? Idem in descriptione convivii luxurio- " si; Videbar videre alios intrantes, alios " vero exeuntes, quosdam ex vino vacillantes, " quosdam hesterna potatione oscitantes. Ver- " satur inter hos Gallius nugentis oblitus, re- " dimitus coronis, Humus erat immunda, lucu- " lente vino, coronis languidulis, & spinis coo- " perta piscium. Sic totum quidem dixeris, si ur- " bem captam dixeris, sed brevis hic nuncius " minus penetrat in affectus. At si aperias, quæ " uno erant inclusa verbo, apparebunt, ut ait " Fabius, Et fusæ per domos ac templa flam- " mæ, & ruentium tectium fragor, & ex diversis

" diversis clamoribus unus quidam sonus, alii " in extremo complexu suorum cohærentes, & " infantium fæminarúmque ploratus, & malè " usque in illum diem servati fatò senes : tum " profanorum sacrorúmque direptio, efferenti- " um prædas repetentiúmq; discursus, & acti " ante suum quisque prædonem catenati, & " conata retinere infantem suum mater, & si- " cubi majus lucrum est, pugna inter victores.

7 Sect. *Quod si simplicior dilutiorq; fuerit descriptio.* Ὑποτύπωσις *vocatur.*

Ut illa Maronis v. Æneid.

Constitit in digitos exemplo arrectus uterq;
Brachiaq; ad superas interritus extulit auras.

Sed vulgo διατύπωσις & ἀντύπωσις pro eodem schemate habentur.

CAP. XVIII.

De Assimilationis speciebus & Dissimilitudine.

1 Sect. *Et hæc de schematibus petitis ex eorum locis, quæ ita rei insunt, ut non sint de ejus essentia. Tertium genus ex locis oritur eorum, quæ sunt extra rem, sive disjuncta : ut sunt similia, comparata, opposita.*

2 Sect. *Schemata, quæ à similibus, & comparatis petuntur, continentur uno assimilationis vocabulo.*

3 Sect. *Est assimilatio vel natura sua simplex, vel*

vel natura partes habet quas πρότασιν, & ἀπόδοσιν, h. e. *propositionem, & redditionem appellant.*

4 Sect. *Simplex est* Εἰκὼν, *sive imago; unde definitur, assimilatio protasi & apodosi carens, facta particulam* similis velut, tanquam, instar, *aut aliam hujus generis.*

Cicero in paradox. "Sed minutis inter rogationculis & quasi punctis, quod proposuit, "efficit. *Pro Com.* Et tu in hoc vulnere, tanquam unguis, existeres. *In Vatinium*: Repente enim te, tanquam serpens à latibulis, "oculis eminentibus, inflato collo, tumidis cervicibus intulisti Ver. 111. Profectus est, non "ut legatis populi Romani, sed ut quædam "calamitas pervadere videretur.

5 Sect. *Icon etsi ab oratoribus etiam usurpetur ad illustrandam orationem: tamen frequentari non debet. Præsertim quæ longior est. Nam magis poetis quàm oratoribus, convenit.*

Auctores Aristoteles, & Fabius.

6 Sect. *Assimulatio, quæ plures naturæ suæ partes habet, instituitur, vel ut doceat, quid fieri debeat; vel ut quæ rei insunt, cognoscantur.*

7 Sect. *Prioris generis est* παράδειγμα, *sive Exemplum. Fit enim cum factum, sive actus aliquis commemoratur, ut ostendatur eo, aliquem, vel simile facturum, vel facere debere.*

Aliquem

Aliquem simile acturum, indicatur, cum negatur permittendam ut rex Persarum in Ægyptum veniat, quia, cum Darius, & Xerxes, Ægyptum occupassent, iidem exercitu trajecerunt in Græciam. Item si periculum esse dicas, ne quemadmodum Marii, & Syllæ, dissidium, ita Pompeii, & Cæsaris, laceret Remp.

8 Sect. *Aliquid fieri debere, probatur quadrifariam; à persona vera, à ficta, à muto animante, & a re sensus experte.*

A persona vera, ut si exemplo Josephi commendes castitatem.

A persona ficta, ut si idem ostendas Hippolyti exemplo.

A muto animante, ut: *Delphini vagari minores incomitatos non sinunt: quid nos facere liberis adhuc teneris oportet?*

A re sensus experte, ut; *Unaquæq; arbor alit, quod genuit: & non alet mater suo lacte liberos?*

9 Sect. *Simplicitur aliquid in esse rei probant* παραβολὴ *sive comparatio, &* συμβολὴ *sive collatio.*

10 Sect. Παραβολὴ *sive Comparatio est cùm ad illustrandũ id, de quo sermo est, petitur similitudo ab iis, quæ fuere, fiunt, aut natura casuve rebus insunt.*

E. G. *Quemadmodum lagena aquam, ita animus hominis ingrati beneficia facile admittit, sed reddit cum murmure, & querela.* Ovid. xv. Met.

——— Ut unda impellitur undâ,
Urgeturq; eadem veniens, urgetq; priorem;
Tempora sic fugient pariter pariterq; sequuntur, sesl
Et nova sunt semper. Nam quod fuit ante relictum
Fitq; quod h nd fuerat, momentaq; cuncta novãtur.

Seneca epist. xl. " Ut qui sese meminerunt
" inquilinos esse, & in conducto habitare, &
" modestius se gerunt, & minus gravatim exe-
" unt: ita qui intelligunt domicilium corpo-
" ris ad breve tempus à naturâ accommoda-
" tum esse, & vivunt temperantius & libenti-
" us moriuntur.

21 Sect. *Interdum ex fabulis quoque depromitur comparatio.*

Cicero pro lege Manilia:" Primum ex suo reg-
" no sic Mithridates profugit, ut ex eodem Pon-
" to Medea illa quondam profugisse dicitur:
" quam prædicant in fuga fratris sui membra
" in iis locis, qua se parens persequeretur, dis-
" sipavisse ut eorum collectio dispersa mœror-
" que patrius, celeritatem persequendi retarda-
" ret. Sic Mithridates fugiens maximam vim
" auri, atq; argenti pulcherrimumq; rerum om-
" nium, quas & majoribus acceperat, & ipse bello
" superiore ex totâ Asia direptas in suum reg-
" num congesserat, in Ponto omnem reliquit.
" Hæc dum nostri colligunt omnium diligen-
" tiùs, rex ipse è manibus effugit. Ita illũ in
" persequendi studio mœror, hos letitiæ re-
" tardavit.

22 Sect. *Debet vero institui comparatio cum factis, aut rebus notis & ejusmodi, quæ idoneæ sunt ad illustrandum. Non item cum iis, quæ sunt*

ſunt obſcura, aut etiam ſordida, vel nimis vulgaria, aut etiam inepta.

13. Sect. Συμβολη *ſive Collatio eſt, quando ſubſtantiam cum ſubſtantia, aut accidens cum accidente conferimus, ut ex oppoſitione hac pateat, quantopere conveniant, aut differant.*

Vt ſi conferas Alexandrum & Cæſarem; oleam, & vitem; ignaviam, & intemperantiam, &c. Cic. VI. in Verrem; "Conferte hanc pacem cum illo bello; hujus prætoris adventum cum illius imperatoris victoria:" hujus cohor- "hujus libidines cum illius continentia, ab il- "lotem impuram cum illius exercitu invicto "qui cepit, conditas: ab hoc, qui conſtitutas accepit, captas dicetis Syracuſas. Etiam orat. pro Roſcio Amer. Illuſtre eſt exemplum collationis inter Roſcium, qui cauſam diceret, & eos, qui accuſarent. Id ſuperius adduximus cap. 7. Sect. 19.

14 Sect. Ex *quatuor hiſce ſpeciebus ſecunda, & quarta. Exemplum nempe, & Collatio magis videntur ad argumentorum inventionem, quam ad ſchemata pertinere.*

15 Sect. *Neque ſimilibus tantum, ſed etiam diſſimilibus illuſtratur oratio. Vocatur hoc ſchema* Ανομοιωσις, *ſive* Διαφορα, *hoc diſſimilitudo, vel diffcrentia. Hac ea, quæ ſimilia videri poterant, propria nota diſtinguit.*

16. Sect. *Eſtque alia perfecta: alia imperfecta. Perfecta rationem diverſitatis adjungit.*

Ut illa apud Cornificium: *Non enim quemadmodum in palæstra, qui tedas ardentes accipit, celerior est in cursu continuo quam ille qui tradit: ita melior imperator novus qui accipit exercitum, quam ille, qui decedit. Propterea quod defatigatus cursor integro facem: hic peritus imperito exercitum tradit.* Cicero pro Plancio: *Dissimilis est pecuniæ debitio & gratiæ. Nam qui pecuniam dissolvit, statim non habet id, quod reddidit: qui autem debet, is retinet alienum: gratiam autem, & qui refert habet, & qui habet, in eo ipso, quod habet, refert.*

17. Sect. *Imperfecta est, quæ rationem, cur dissimilia sint, non addit.*

Vt apud Cornificium: *In amicitia generandâ sicut in certamine currendo, non ita convenit exerceri, ut quoad necesse sit, pervenire possis: sed ut productius studio & viribus ultra procuras.*

CAP. XVIII.

De Schematibus, quibus oppositæ junguntur.

1 Sect. *Ab oppositis petuntur* Παρδιαζευξις, Ἀντίθετον, Ἀντιμίταθεσις, & ὀξύμωρον.

2 Sect. Παρδιαζευξις *est, cum eorum, qui vulgo ob vicinitatem confundi solent, remoto uno, alterum ponitur.*

Vt

Vt, *non ſapiens, ſed aſtutus; non fortis, ſed audax.* At ſi ſapienti inſipiens, forti timidus opponatur, ſequens ſchema erit.

3 Sect. *Eſt hoc ſchema illuſtrius, cum ratio additur.*

Vt apud Rutilium Lupum; *Quapropter nolo te ſæpius parcum appellare, cum ſis avarus. Nam qui parcus eſt, utitur eo quod ſatis eſt; tu contra, propter avaritiam, quoplus habes, magis eges.*

4 Sect. *Convenit hæc figura refellenti, & reprehendenti.*

5 Sect. Ἀντίθετον, *cum ex plane contrariis conſtat oratio.*

Laxius vero nunc hoc utimur nomine, ut eam quæ preſſe ἀντίθεσις dici ſolet, comprehendat.

6. Sect. *Eſtque vel ſimplex, vel conjunctum.* Simplex ut apud Cic. pro lege Manil. *Hujus orationis difficilius eſt exitum, quam principium invenire.* Sic Maro VI. Æn.

Flectere ſi nequeo ſuperos Acheronta movebo.

Horat. Sat. I. lib. I.

Parvula nam exemplo eſt magni formica laboris.

Vbi Ἀντίθετον etiam ſtatuit vetus interpres. Conjunctum ἀντίθετον eſt in hoc apud Cornificium; *Habet aſſentatio iucunda principia, eadem exitus amariſſimos adfert.* Cicero pro

Roſcio Amer. *Qui in ſua re fuiſſet egentiſſimus, erat, ut fit, inſolens in aliena.* Idem pro Quinctio: *Plus hujus inopia poſſit ad miſericordiam, quam illius opes ad crudelitatem.* Paſſienus filius de Caligula apud Tacitum lib. VI. *Neque meliorem unquam ſervum, neque deteriorem dominum fuiſſe.*

Elegantiſſima vero ſunt ἀντίθετα, in quibus paria paribus, contraria contrariis ſæpius reſpondent. Vt pro *Poſthumo*: Egentes in locupletes, perdit in bonos, ſervi in dominos armabantur. *Sic pro Milone*; Eſt enim hæc non ſcripta ſed nata lex; quam non didicimus, accepimus, legimus; verum ex natura ipſa arripuimus, hauſimus, expreſſimus; ad quam non docti, ſed facti, non inſtituti, ſed imbuti ſumus. *Item Cat.* II. Ex hac enim parte pudor pugnat illinc petulantia; hinc pietas, illinc ſtuprum; hinc fides illinc fraudatio; hinc pietas, illinc ſcelus; hinc conſtantia, illinc furor; hinc honeſtas, illinc turpitudo; hinc continentia, illinc libido; denique æquitas, temperantia, fortitudo, prudentia, virtutes omnes certant cum iniquitate, cum luxuria, cum temeritate, cum vitiis omnibus; poſtremo copiæ, cum egeſtate; bona ratio cum perdita; mens ſana, cum omnium deſperatione. *Juſtinus lib.* XXII. *de Agathocle, Syracuſis ſuis obſeſſis bellum nihilominus in Africam transferente:* Mira prorſus audacia, ut quibus in ſolo urbis ſuæ par non erat, eorum urbi bellum inferret; & qui ſua tueri non poterat, impugnaret aliena victuſque victoribus inſultaret.

6 Sect. *Αντιμετάθεσις sive Commutatio est, quando est contrarietas sensus cum verborum inversione.*

Ut "Edere oportet, ut vivas; non vivere, ut "edas. *Petronius:* Mirari equidem tam discordem libidinem cœpi, atque inter monstra numerare, quòd ancilla haberet matronæ superbiam, & matrona ancillæ humilitatem. *Plinius in Panegyrico.* "Non ideo vicisse vidêris, ut triumphares; sed triumphare, quia "vinceres. Estq; in his eriam Epanodus, nempe quatenus est verborum inversio. Sed ratione contrarietatis, quæ primò non verbis "inest, sed rebus, omino pertinent ad schemata διανοίας. non λέξεως.

7 Sect. *Convenit laudanti, & reprehendenti.*

8 Sect. Ὀξυμωρον est, *cùm idem negatur de seipso.*

Conflata vox est ex ὀξὺς *acutus*, & μωρὸς *fatuus*. Nempè quia acutè dicitur, quod fatuè prolatum videtur. Ita ait Terentius Eun. * *Tu pol, si sapis, quod scis, nescis.* Tul. 1. Catil. *Cum tacent, clamant.* Cui non absimile illud in Bruto, sive de claris oratoribus: *Tum etiam ea ipsa, de qua disputare ordimur, eloquentia obmutuit.* Et inferiùs: *Eloquentia loqui dedidicit.* Horatius lib. I. od. xxxv.

Insanientis dum sapientiæ
Consultus erro. Martial lib. VII. epig. LXXII.

Quisquis ubiq; habitat, Maximè nusquam habitat. Et ep. LXXIV.

Vis dare, nec dare vis.

* Act. 4. sc. 4.

CAP. XIX.

De Digreſſione, & Epiphonemate.

1 Sect. Vidimus *ſchemata petita ab iis, quæ vel de re ſunt, vel in re, vel extra rem. Sunt vero & ſchemata, quæ ad diverſa genera pertineant. Iſtiuſmodi ſunt Digreſſio, & Epiphonema.*

2 Sect. *Digreßio eſt alicujus rei, quæ tamen ad cauſæ vtilitatem pertineat, extra ordinem excurrens tractatio.*

* Atque ab inſtituto ſermone fueram digreſſus.

Græci vocant παρέκβασιν, vel ἔξοδον, vel etiam ἐκβολὴν. Ut apud Thucydidem lib. 1. Καὶ τῶν ἐκβολῶν τῷ λόγῳ ποιησόμεθα.

3 Sect. *Sumitur hæc è locis internis, cum ab hypotheſi ad theſin tranſimus.*

Ut cum Cicero oratione pro Archia ab eruditione poetæ hujus digreditur ad locum communem de ſtudiis doctrinæ.

4 Sect. *Alias petitur ab iis, quæ non quidem de re, ſed tamen inſunt. Imo illis etiam, quæ ſunt extra rem.*

Ut cùm occaſione cauſæ finalis, circumſtantiæ, vel rei ſimilis, aliò elabimur. Huc refer digreſſionem illam de raptu Proſerpinæ, quæ eſt Verrinâ VI.

5 Sect.

5 Sect. *Videndum autem, ne digreſſio longior ſit. In genere tamen demonſtrativo, & omnibus, quæ delectationis cauſa ſcribuntur, longior eſſe poteſt. Sed & hic, & alias, ante longiorem digreſſionem præmunire animos conducit.*

Vt in Verr. Atque adeo antequam de incommodis Siciliæ dico, pauca mihi videntur eſſe de provinciæ dignitatate, vetuſtate, utilitate, dicenda.

6 Sect. *Sed nec digreſſio debet à propoſito eſſe aliena.*

Qualis fuerit, ſi quæ natura ſunt juncta, per vim detrahas. Quare tum demum digreſſione utemur, ſi ſponte ſe offerat. At non item debet oratio cuneari, ſi metus ſit, ne alio divertamus animos auditorum.

7. Sect. *Præterea nec durius ad propoſitum convenit redire.*

Commodè ſane redimus, ſi poſtquam adduxerimus exemplum illud ad preſens negorium applicemus. Facit hoc Cicero pro Sex. Roſcio; *Hominem*, inquit, *longe audaciſſimum nuper habuimus in civitate, C. Fimbriam*, &c. Poſtea præſenti ita accommodat inſtituto; *Eſtne hoc illi dicto atque facto Fimbriæ non ſimillimum?*

8. Sect. *Reditus ad propoſitum* Ἐπάνοδος *vocatur.*

Vt in exemplo jam allato. Item lib. 11. de Orat. *Sed ut eo revertatur, unde hæc declinavit oratio.*

9. Sect. *At in minori digressione Epanodo opus non est. Tamen aliquid dicitur, quod digressio ab aliis distinguatur.*

Ut pro Milone; *An vero Judices, vos soli ignoratis.* & quæ sequuntur. Digressionem hanc claudit istis-verbis; *Quam rem etsi necessario feciſti, tamen quoniam in meo inimico crudelitatem expromisisti tuam, laudare non possum, irasci certe non debeo.* Redit deinde ad institutum absque transitione ulla. Hæc de Digressione, & Epanodo.

10. Sect. *Epiphonema est, cum rei narratæ aut probatæ, velut coronis, adjicitur pronunciatum superioribus expressum.*

11 Sect. *Fit hoc vel admirationis causa.*

Æn. 1. Georg. 2. Ut apud Maronem; † *Tantæ molis erat Romanam condere gentem.* Item. * *Adeo à teneris adsuescere multum est.*

12. §. *Vel fit, ut comprehendamus summam rei.*

Quomodo item tempestatis descriptionem

‖ Æn. 1. † Ecl. 2. claudit his verbis ‖ *Ponto nox incubat atra*; & postquam ostenderat animalia singula ex re quapiam capere delectationem, subjici, †, *Trahit sua quemque voluptas.*

13. Sect.

13. Sect. *Vel deniq; fit, ut ſententia firmet obſignetq; ſuperiora.*

Quomodo demoſthenes, poſtquam de Philippi egerat improbitate, ſubdit: *Res ſecundæ magnam vim habent ad occultanda, & adumbranda iſtiuſmodi probra.*

CAP. XX.

De Schematibus, quibus res exaggeratur.

1. Sect. Hactenus *de ſchematibus, quæ æquè dicunt, ac in re eſt: ſequuntur ſchemata, quæ plus, aut minus dicunt, Ut ſunt* Αὔξησις, καὶ Ταπείνωσις.

2 Sect. Αὔξησις *eſt cum utimur verbo excedente rei magnitudinem.*

Ut ſi *ſcelus* dicas, pro *errato*; *crudelem*, pro *ſevero*; aut *vulneraſſe*, *qui leviter perſtrinxit.*

3 Sect. *Convenit accuſanti.*

4 Sect. *Contra* Ταπείνωσις *sive* Μείωσις *eſt, cùm verbo humiliore, quàm pro re, utimur.*

Ut ſi *erratum* ponas, *pro ſcelere*; *ſeverum*, pro *crudeli*: aut *perſtrinxiſſe* dicas, qui *vulneravit.*

5 Sect. *Convenit refellenti.*

6 Sect.

6 Sect. Ταπεινώσεως *genus est* Λιτότης *quæ negatione contrarii plus significat, quàm dicit.*

E. G. " Nam hoc pro jure meo, auditores, " dico, me labore, & industriâ curâsse semper se- " dulo, ne studium eloquentiæ in postremis te- " nerem. *Nam si quis hic diceret*, ut studium " eloquentiæ præ ceteris optimè tenerem ; *vel*, " ut alios eloquentiâ superarem; *tametsi verum* " *diceret, tamen arrogans videretur.*

Diximus hoc de schemate quoque in Tropologiâ, quatenus Συνεκδοχῆς species est.

7 Sect. *Huc etiam referri potest* παράλειψις, *sive Præteritio. Fit ea, cùm præterire nos aliquid velle dicimus, atque interim in transcursu id dicimus.*

Cic, pro Cluentio : *Mittam illam primam libidinis injuriam : mitto nefarias generi nuptias : mitto cupiditate matris expulsam matrimonio filiam.* Simile est hoc Æn. x.

Quid repetam exustas Erycino in littore classes
Quid tempestatum regem ; ventosq; furentes
Æoliâ exitos, aut actam nubibus irim ?

8 Sect. *Convenit audenti, ac reprehendenti. Item confirmanti, ac refellenti.*

9 Sect. *Etiam ad exaggerandum, vel imminuendum, valent incrementum, & Periphrasis. Sed ut sæpe est quod plus, aut minus dicant ; ita interdum aquè dicunt, ac in re est.*

Unde

Unde liquet, quatenus ad ſuperiorem, quatenus item ad hunc ſchematum ordinem pertineant.

10 Sect. *Incrementum eſt, cùm velut gradibus quibuſdam pervenitur ad ſummum.*

Cic. VII. in Verrem: *Facinus eſt vincire civem Romanum, ſcelus verberare, prope parricidium necare, quid dicam in crucem tollere?* Plautus Captivis.

Miſer homo eſt, qui ipſe ſibi, quod edit, quærit, & id ægrè invenit.
Sed ille eſt miſerior, qui & ægrè quærit & nihil invenit.
Ille miſerrimus, qui cum eſſe cupit, quod edit non habet.

11 Sect. *Περίφρασις eſt, quâ rem unam multis ambimus verbis. Hæc interdum adhibetur, ut rem magis conſpicuam reddat; interdum, ut obumbret.*

Prioris generis eſt, cum Homerus initio operis Ulyſſem, Maro Æneam, circumloqui maluit, quàm nominate. Poſterioris generis eſt, cùm Cicero in Milonianâ, quia gravius erat dicere, Clodium à Milonis ſervis occiſum, maluit illud hoc pacto mollire: *In quos incenſos ira, vitamq; domine deſperantes, cùm incidiſſet, hæſit in pœnis, quos ab eo ſervi fideles pro domini vitâ expetiverunt.* Item, *Ex quibus, qui animo fideli in dominum erant, & præſentes fuerunt, partim occiſi ſunt, partim, cùm*

ad

rhedem pugnare viderent, & domino succurrere prohiberentur. Milonemq; occisum etiam ex ipso Clodio audirent, & ita esse putarent; fecerunt id servi Milonis (dicam enim, non derivandi criminis causa; sed ut factum est) neq; imperante, neq; sciente, neq; præsente domino, quod suos quisq; servos in tali re facere voluisset.

12 Sect. *Ad posterius hoc genus referendum, cum periphrasi cogimur uti honestatis causâ.*

Istiusmodi sunt isthæc. Plautus Curcul. * *Medico ire, quo saturi solent.* Varro: * *Retrimenti sibi qua exirent, per posticum vallem feci.* Signat, quæ Græcis περιτ]ώματα appellantur. Similiter ea Ciceroni sunt *reliquiæ sibi.* Etiam urina Lucretio lib. IV. vocatur —— *saccatus corporis humor*: Senecæ * *humor obscœnus*, & alibi * *aqua immunda.* Imo olim etiam ominosum credebatur *lotium* nominare. Sanè Plinius * inter mortis præfagia reponit *præfandi humoris è corpore effluvium!* hoc est lotii, quod cum honoris præfatione nominari debent.

* Act. 2. sc. 3.
* Apud Nonium in Postica.
* Lib. 2. de Ira cap. 3.
* Lib. 2. de Tranquil. cap. 18.
* Lib. 7.

CAP. XXI.

De Figuris pertinentibus ad Argumenta παθητικὰ.

1 Sect. Vidimus *de schematibus explicationis, probationis, & amplificationis. Nunc agamus de iis, quæ ad argumenta pertinent* παθητικὰ.

2 Sect. Sunt *hæc duplicia. Alia generatim ad effectus pertinent; alia certam continent affectus speciem.*

2 Sect. *Priora illa vel absoluta sunt, vel relata. Absoluta sunt,* Ἐκφώνησις *sive exclamatio,* Ἀπορία *sive dubitatio Revocatio sui ipsius, & alieni sermonis commemoratio.*

4 Sect. Ἐκφώνησις *sive exclamatio fit, quando oratio interjectionem habens expressam, aut intellectam, animi affectum, ac rei magnitudinem significat; eoque voci intentiori pronunciatur.*

Ut in Catil. O tempora! o mores! *Et Att.* O suaves Epistolas tuas uno tempore mihi datas duas! quibus evangelia quæ reddam, nescio, deberi quidem plane fateor.

Virgil. 11. Æn.

Heu quæ nunc tellus, inquit, quæ me æquora possunt
Accipere? aut jam misero mihi denique restat.

At intelligitur interjectio in illo ejusdem Eccl. 1.

Fortunata senex, ergo tua rura manebunt.

5 Sect. *Vtendum exclamatione, ubi res magnas persuaseris. Quare in epilogis maxime locum habet. At in minutis, aut controversis, velle eâ uti frigidum sit ac puerile.*

6. Sect. Ἀπορία *sive dubitatio fit, cum animus pendet ac nescit quid dicendum, agendumve sit. Unde duplicem esse cognoscitur.*

unam

unam verborum, alteram rerum.

Verborum dubitatio est illa apud Cornificium; "Tu istud ausus es dicere homo omnium "mortalium? quæro, quonam te digno moribus "tuis appellem nomine. Cicero pro Quinctio: "Qui si vadimoniũ omnino tibi cum P. Quinctio "nullum fuit, quo te nomine appellemus? improbum? at etiamsi desertum vadimonium "esset, tamen in ista postulatione, & proscriptione bonorum, improbissimus reperiebare; "num malitiosum? negas: fraudulentum? jam id "quidem arrogas tibi, & præclarum putas: audacem? cupidum? perfidiosum? vulgaria, & "obsoleta sunt; res autem nova, & inaudita. "*Idem Varr.* VI. Venio nunc ad istius, quemadmodum ipse appellat; studium: ut amici ejus, "morbum, & insaniam; ut Siculi, latrocinium; "ego, quo nomine appellem nescio.

Rei vero dubitatio est in illo Cicer. pro Cluentio *; "Equidem quod ad me attinet, "quo me vertam nescio. Negem fuisse illam infamiam judicii corrupti? illam rem agitatam "in concionibus? jactatam in judiciis? cõmemoratam in senatu? *Et quæ sequuntur, Item pro "lege manilia*; Quo mihi etiam indignius videtur, obtrectatum est adhuc, Gabino dicam, "anne Pompeio? an utrique? id quod est verius; ne legaretur A. Gabinius Cn. Pompeio "expetenti, ac postulanti, *Virgil.* III. *Æn.* "Eloquar? an fileam? Et IV. Æn.

* In principio,

En quid agam? rursusne procos irrisa priores
Experiar? Nomadumque petam connubia supplex,
Quos ego jam toties sum dedignata maritos?
Hiacas igitur classes atque ultima Teucrum

Jussa

Jußa sequar?

7 Sect. *Habet hoc schema magnam vim ad rem amplificandam, ac attentum reddendum auditorem. Convenit laudanti, reprehendenti, dolenti, ac timenti quoq; : idque inprimis in exordiis, non orationum modo, sed etiam epistolarum.*

8 Sect. *Revocatio suiipsius est duplex,* Ἐπανόρθωσις *&* Ἀποσιώπησις.

9 Sect. Ἐπανόρθωσις, *sive correctio est, quæ tollit, id, quod dictum est, & pro eo quod magis idoneum videtur, reponit.*

Cicero pro Mil. *Quas ille leges, si modò leges nominandæ sunt, ac non faces urbis, & pestes Reip.* Terent. Heautont: *.

* Act. 1. sc. 1.

——Filium unicum adolescentulum (Chreme
Habeo ah! quid dixi habere me? imo habui
Nunc habeam, nec ne, incertum est.

10 Sect. Ἀποσιώπησις *est, cùm ita abrumpitur oratio, ut vix appareat, quid dicturus quis fuerit.*

Ut illud Ciceronis * in Miloniana, non quæ extat, sed quam habuit: *De nostrum enim omnium. Non audeo totum dicere.*

* Apud Fabium,

11 Sect. *Convenit irato, & minanti.*

Terent. Andr. *.

——*Quem quidem ego si sensero.*

* Act. 1. sc. 1.

Sed

* Act. 5. sc. 5. Et Eun.*——*Ego te furcifer,*
Si vivo. Sed istuc quicquid est, primum expedi.

Cicero epist. ultimâ lib. IX. ad Att. *Sed erit immitissimus Servius, qui filium misit ad affligendum Cn. Pompeium, aut certè capiendum cum Pontio Titiniano, etsi hinc quidem timoris causa, ille vero. Sed stomachari desinamus.*

12 Sect. *Etiam in dolore locum habet.* Cicero epist. XXII. lib. VII. ad Att. *De Pompeio scio nihil, eumq; nisi in navim se contulerit, exceptum ire puto. O celeritatem incredibilem! hujus autem nostri, sed non possum sine dolore accusare eum, de quo angor, & crucior.*

13 Sect. *Item utimur ob pudorem.*

Ut in Ecl. *Novimus & qui te.*

14. Sect. *Item propter δυσφημίαν.* *.

* Malum omen. Hac de causa Philippi verba à Demosthene Philipp. 1. intermitti monet Ulpianus. Ciceria ad Cassium: *Brutus Mutinæ vix jam sustinebat, qui si conservatus erit, vicimus: sin, (quod Dii omen advertant) omnia omnium concursus est ad vos.*

15 Sect. *Item propter gravitatem. Nam quæ latent, putantur graviora.*

Majorem primus quisquis fuit ille tuorum,
Aut pastor fuit, aut illud quod dicere nolo.

16 Sect.

16 Sect. *Etiam ad ſolicitudinem ac religionem conferri,* * *Fabius monet.* Lib. 9. Cap. 2.

Quod illuſtrat illud Cicer. pro Milone: "An hujus ille legis, quam Clodius à ſe inventam gloriatur, mentionem facere auſus eſſet, vivo Milone, ne dicam conſule? de noſtrum enim omnium non audeo totum dicere.

17 Sect. *Apud cómicos vero etiam* Ἀποσιώπησις *eſt, cum ſermo interpellatione alterius abrumpitur.*

Vt apud Ter. And.

Simo *Jubeo Chremetem.* Chr. *O, te ipſum quærebam.* Idem Heaut.

Syrus, *Ita res eſt hæc, nunc quaſi cum.*

Clitipho. *Quas, malum, ambages mihi Narrare occipit?*

18. Sect. *Figurata alieni ſermonis commemoratio eſt duplex, Sermocinatio, & Proſopopœia.*

19. Sect. *Sermocinatio proprie eſt, cum ſermo affingitur perſonæ, quæ præſentis ſit inſtituti.*

Cic. pro Quinctio: "Quid ad hæc Nævius ri-
"det ſcilicet noſtram amentiam, qui in vita
"ſua rationem ſummi officii deſideremus, &
"inſtituta bonorum virorum requiramus. Quid
"mihi, inquit, cum iſta ſumma ſanctimonia
"ac diligentia? viderint, inquit, iſta officia
"viri boni: de me iſta conſiderent, non quid
"habeam, ſed quibus rebus invenirem, quæ-
"rant. *Et eadem oratione:* Qui inter tot annos

" nos ne appellarit quidem Quinctium, cum " poteſtas eſſet agendi quotidie: qui &c. is non " hoc palam dicit? Mihi ſiquid deberetur, " peterem, atque adeo jam pridem abſtuliſſem, " &c. *Idem pro S. Roſcio:* Cum hoc modo " accuſas, Eruci, nonne hoc palam dicis? Ego, " quid acceperim, ſcio; quid dicam, neſcio: u- " num illud ſpectavi, &c.

20. Sect. *Aliis Sermocinatio etiam vocatur, cum verum ſermonem recitat orator: neque id unius tantum ſed etiam qui inter ſe & alterum, vel, qui inter alios duos fuit.*

Sui & Roſcii ſermonem refert Cicero pro Quinctio: " Diffidebam mehercle, C. A- " quili, ſatis animo certo & confirmato me " poſſe in hac cauſa conſiſtere: ſic cogitabam, " cum contra dicturus eſſet Hortenſius, & " cum eſſet attente auditurus Philippus, fore " uti permultis in rebus timore prolaberer, " dicebam huic Q. Roſcio, cujus ſoror eſt " cum P. Quinctio, cum à me peteret, & " ſumme contenderet, ut propinquum ſuum " defenderem: mihi perdifficile eſſe contra ta- " les oratores, non modo tantam cauſam pe- " rorare, ſed omnino verbum facere conari. " Cum cupidius inſtaret homini pro ami- " citia familiarius dixi, mihi videri ore duriſ- " ſimo eſſe, qui preſente eo geſtum agere co- " naretur: qui vero cum ipſo contenderent, " eos etiam ſiquid antea recti, aut venuſti ha- " bere viſi ſunt, id amittere: nequid mihi e- " juſmodi accideret, cum contra talem artifi- " cem dicturus eſſem me vereri. Tum mihi Ro-

ſcius

" ſcius, & alia multa mei confirmandi cauſa
" dixit; & mehercle, ſi nihil diceret tacito ipſo
" officio & ſtudio quod adhibeat erga pro-
" pinquum ſuum, quemvis commoveret. Etenim
" cum artifex ejuſmodi ſit, ut ſolus dignus vi-
" deatur eſſe, quam in ſcena ſpectetur, tum vir
" ejuſmodi eſt ut ſolus dignus videatur, quod
" eo non accedat. Verum tametſi, inquit, habes
" ejuſmodi cauſam, & hoc tibi planum ſit faci-
" endum, neminem eſſe qui poſſit biduo, aut
" ſummum triduo, ſeptingenta millia paſſuum
" ambulare? tamen ne vereris, ut poſſis hæc con-
" tra Hortenſium contendere? minimè inquam.
" ſed quid ad rem? Nimirum inquit, in eo cau-
" ſa conſiſtit. Quomodo? Docet me ejuſmodi
" rem, & factum ſimul Sex. Nevii, quod ſi ſo-
" lum proferretur ſatis eſſe deberet. Mox ibi-
" dem ſe, & Nævium, colloquentes induci. Item
" ſe, & Aquilium, orat. pro Cæcina. Feſtiva eti-
" am illa collocutio pro *P*lancio. At ego, cum
" caſu diebus iis, itineris faciendi cauſa, dece-
" dens è provincia, *P*uteolos forte veniſſem,
" cum plurimi & lautiſſimi ſolent eſſe in iis lo-
" cis, concedi pene, judices, cum ex me quidam
" quæſiſſet, quo die Roma exiſſem, & nunquid
" in ea eſſet novi? Cui cum reſpondiſſem me è
" provincia decedere! etiam mehercules, inque
" ut opinor, ex Africa: huic ego jam ſtoma-
" chans faſtidioſè, Imo ex Sicilia, inquam.
" Tum quidam quaſi qui omnia ſcirem, quid
" tu, neſcis, inquit, hunc *S*yracuſis Quæſtorem
" fuiſſe? Quid multa? deſtiti ſtomachari, & me
" unum ex iis feci, qui ad aquas veniſſent. At ali-
" os duos colloquentes inducit verbis iſtis orat.
pro Quinctio: *Quinctius porro iſtum poſſe facere videbat: intelligebat: mentiri quia cauſa cur*

menti-

" mentiretur, non erat, non putabat. quasi
" domi nummos haberet, ita constituit Sca-
" pulis daturum Nævium certiorem facit; ro-
" gat ut curet, quod dixisset. Tum iste vir op-
" timus (vereor ne se derideri putet, quod
" iterum jam optimus dico) qui hunc in sum-
" mas angustias adductum putaret, ut eum suis
" conditionibus in ipso articulo temporis ad-
" stringeret, assem sese negat daturum, nisi prius
" de rebus, rationibusque societatis omnibus
" didicisset, & scisset, sibi cum Quinctio contro-
" versiæ nihil facturum. Posterius inquit, ista
" videbimus; nunc hoc velim cures (si tibi vi-
" detur) quod dixisti. Negat se alia ratione fa-
" cturum. quod promisisset, non plus sua refer-
" re, quam si, cum actionem venderet, domini
" jussu quicquam promisisset.

21 Sect. *Sermocinatio omnis hoc habet, quod, si apte instituatur, fidem conciliat orationi. Nam alienum sensum, & quasi vocem auribus percipere videmur. Porro illud genus, quo sermonem alicui affingimus, maxime figuratum est, Nam ea dixisse aliquem dicimus, quæ fortasse cogitavit; sed tamen palam dicere ausus non esset. At genus isthoc, quod dialogum continet, (quod cum priori genere, ubi dialogismus, non dialogus est, temere confundunt) rarius figuratum est, quia plurimum simplex est rei gestæ narratio.*

22. Sect. προσωποποιΐα *est cum aut personam mortuam, tanquam vivam præsentemq; loquentem inducimus; aut personam facimus è non persona, sive tribuendo ei sermonem, sive compellando eam, quasi intelligat.*

Prioris generis, quo mortuum loqui fingi-

mus

mus, est hoc apud Ciceronem orat. pro M. Cælio, ubi Appius Cæcus, quasi ab inferis excitatus, inducitur. " Clodiam compellans: *Exsistat*, inquit, " ex hac ipsa familia aliquis, ac potissimùm cæcus ille. Minimum enim dolorem capiet, qui istam non videbit. Qui profecto si extiterit, sic aget, & sic loquetur. Mulier, quid tibi cum Cœlio ? quid cum homine adolescentulo ? quid cum alieno ? cur aut tam familiaris huic fuisti, ut aurum commodares : aut tam inimica, ut venenum timeres ? &c.

Posterioris generis est, cum Catilinariâ primâ patriam inducit loquentem cum Catilinâ, *Quæ* inquit, *Tecum Catilina sic agît, & quodammodo tacita loquitur: Nullam jam tot annos facinus existit, nisi per te : nullum flagitium sine te : tibi uni multorum civium neces, tibi vexatio direptioq; sociorum impunita fuit, ac libera : tu non solùm ad negligendas leges, & quæstiones, verùm etiam ad evertendas perfringendasq; valuisti*, &c. Huc quoque refer, cum alloquimur res ratione destitutas, quasi intelligant. Ut in illo veteris poetæ apud Tullium * *O domus antiqua, heu quàm dispari dominaris domino.* Ut vulgatam nunc lectionem ejus retineam loci, de quo tantopere disputant viri docti. Ejusdem est generis, cum prophetæ in sacris literis compellant cælum, maria, montes, similiâque.

23 Sect. *Et hæc de schematibus παθητικοῖς absolutis : sequuntur magis ad alium relata. Sunt hujusmodi, Interrogatio, & Apostropho.*

34 Sect. *Interrogatio figurata est, quando, ubi rectâ oratione uti poteramus, sermonem inflectimus.*

E. G.

E. G. Dicere poterat Cicero: "Patent, Catilina, tua consilia: conjuratio tua omnium "conscientiâ constricta tenetur; quid egeris, "nemo ignorat. *Sed magis instat urgétq;, cùm* "*ait.* Patere tua consilia non sentis? constrictam "jam omnium horum conscientiâ teneri conju"rationem tuam non videt? quid proximâ, "quid superiore nocte egeris, ubi fueris, quos "convocaveris, quid consilii ceperis, quem nostrum ignorare arbitraris? *Similiter dicere* "*poterat.*

Ipse ego te vidi Damonis, pessime caprum
Excipere insidiis, multum latrante Lycisca.

Sed plus Spiritus, nervorumq; habet.

Nonne ego te vidi Damonis, pessime, caprum
Excipere insidiis.

25 Sect. *Est hujus schematis usus multò maximus. Nam utimur eo ad magis asseverandum, aut urgendum; ad indignationem, admirationem, aliòsve affectus exprimendos; idq; imprimis in rebus vel manifestis, vel jam demonstratis. Plurimum quoque valet ad probandum, quia verisimile non est, interrogaturum fuisse oratorem, nisi putasset adversarium nihil habiturum, quod respondeat. Prodest etiam ad parandam attentionem, quia aculei instar languentem excitat auditorem: ac denique valet ad varietatem orationi afferandam, dum, quod antea recta dictum erat oratione, te postea profertur inflexa.*

26 Sect. *Apostrophe est, cùm sermonem alio avertimus, quam instituta requirat oratio, utimur eâ ad urgendum adversarium.*

Ut

Ut illo Ciceronis tertiâ in Verrem *: *Lib. 10. Act. 21.
" Nemo jam, Dolabella, neque tui, neque tuo-
" rum liberorum; quos tu miſeros in egeſtate,
" atque in ſolitudine reliquiſti, miſereri po-
" teſt. Verrésne tibi tanti fuit, ut ejus libidi-
" nem, hominum innocentium ſanguine lui
" velles? Iccircóne exercitum, atque hoſtem
" relinquebas, ut tuâ vi, & crudelitate, iſtius
" hominis improbiſſimi pericula ſublevares?

27 Sect. *Uſurpamus quóque ad invocandum.*

Idem Cic. primâ in Catil. " Tum tu,
" Jupiter, qui iiſdem, quibus hæc Urbs, auſpi-
" ciis à Romulo es conſtitutus, quem Statorem
" hujus urbis, atque imperii verè nominamus;
" hunc & hujus ſocios à tuis aris, cæteriſque
" templis, à tectis urbis, ac mœnibus, à vita
" fortuníſque omnium civium arcebis; & om-
" nes inimicos bonorum, hoſtes patriæ, latro-
" nes Italiæ ſcelerum fœdere inter ſe ac nefa-
" ria ſocietate conjunctos, æternis ſuppliciis
" vivos mortuóſque mactabis.

28 Sect. *Nec tantùm ad perſonas fit, ſed etiam res inanimas.*

Ut pro Milone: " Vos enim jam, Albani
" tumuli atque luci, vos, inquam, imploro atque
" obteſtor, vóſque Albanorum obrutæ aræ, ſa-
" crorum pop. Romani ſociæ, & æquales, &c.
Virgil. III. *Æneid.*

——— *Quid non mortalia pectora cogis,*
Auri ſacra fames! Et. II. Æneid.
O patria, ô divûm domus Ilium, & inclyta bello
Mœnia Dardanidûm.

29 Sect, *Convenit hoc ſchema, cùm reprehendenti*

ac refellenti: tum etiam dolenti, imprimis, si ad personas absentes, aut res inanimas, convertatur oratio.

30 Sect. *Tantum de figuris generalibus affectuum: sunt verò, quæ & specialem ornent affectum: eumque vel gratum, vel ingratum, vel medium.*

31 Sect. *Gratum ornat* Παιανισμὸς, *ac lætanti convenit:*

* Capill. epig. 5. Ut, **Vivamus, mea Lesbia, atq; amemus.*

32 Sect. *Ingratum ornant eæ, quibus illusio atq; obtrectatio ineſt: ut* Σαρκασμὸς, Διασυρμὸς, Χλευασμὸς, *aliæque ſpecies irriſionis: de quibus dictum, cùm ea explicaremus, quæ falsò inter tropos retulerunt.*

33 Sect. *Ac pertinet huc quoq;* Ἀρὰ *ſive Execratio. Eſt ea hominis valdè irati.*

*Cic. epiſt. ad D. Brutum. l. 11. Ut * *Di iſti Segulio malè faciant.*

34 Sect. *Ad medium affectum pertinet* Δέησις, *ſive obſecratio.*

*Virgil. lib. 2. Ut. * *Quod te per ſuperos, &c.*

35 Sect. *Convenit dolenti, commendanti, hortanti, ac timenti etiam, quatenus opem implorat.*

36 Sect. *Item admiratio.*

*Cic. pro Ligar. *Ut,* * "O clementiam admirabilem, atque "omnium laude, prædicatione, literis, monumentiſque decorandam!

37 Sect. *Convenit laudanti, reprehendenti, irridenti.*

38 Sect. *Item* Εὐχὴ, *ſive votum.*

* Ovid. epiſt. 1. Ut * *O utinam tunc, cum Lacedæmona claſſe petebat.*

Obruta

Obrutus insanus esset adulter aquis.

39 Sect. *Convenit dolenti, timenti, speranti.*

CAP. XXII.

De Transitione, rejectione, & digressione.

1 Sect. Enumeravimus *figuras potissimas ad ornandam inventionem pertinentes, supersunt eæ, quæ dispositionem exornant. Hujusmodi sunt Transitio, Rejectio, & Rovocatio.*

2 Sect. *Transitio est, cùm inseritur aliquid orationi, ut ab eo, quod diximus commodè digrediamur ad id, quod supereſt.*

3 Sect. *Est hæc vel perfecta, vel imperfecta.*

4 Sect. *Perfecta dicit, qua de re actum sit, & quid sequatur. Imperfecta alterum tantùm facit.*

Itaque perfecta est, cùm Cic. Philipp. VII. ait; *Satis multa de turpitudine: dicam deinceps, quod proposui de periculo,* &c. Item pro lege; Manil. *Quoniam de genere belli dixi, nunc de magnitudine pauca dicam.* Virgil. II. Georg. *Hactenus arvorum cultus, & sydera cœli; Nunc te, Bacche, canam.*

Imperfecta est in illo Cic. pro Rosc. Amer: *Age, nunc illa videamus, Judices, quæ consecuta sunt.* Et hoc Sallust. in Jugurth. *De Africâ, et ejus incolis, ad necessitudinem rei satis dictum.*

5 Sect. *Utimur Transitione, cùm oratio, aut epistola, plura habet capita: nec tantum orationi perspicuitatem adfert, qd Hermogenes observat:*

sed etiam utilis est ad parandam attentionem.

*Malè in vulgatis Julii Rufiniani codic vocatur Apodoxis.

6 Sect. Ἀποδίωξις *, *sive Rejectio est, cùm aliquid vel simpliciter ab oratione removetur: vel in alium locum, ac tempus rejicitur.*

7 Sect. *Ac prius quidem genus convenit imprimis refellenti; maximeq; locum habet, si quid videatur, vel leve, ac nugatorium; vel per se planum, apertumq;; vel odiosum, quódque in suspicione relinqui, quàm apertè dici, satius, sit; vel denique alienum, ac minimè pertinens ad præsens institutum. Alterum genus, quo quid in commodiorem locum reservatur, ad εὐταξίαν pertinet, orationemque perspicuam facit. utrumque autem genus præstat, nequid utile, aut necessarium, omisisse videamur.*

Prioris generis est illud Tullii pro S. Ros. cio: " Erucii criminatio tota, ut arbitror, dissoluta est, nisi fortè expectatis, ut illa dilu- " am, quæ de peculatu, ac de ejusmodi rebus " commentitiis, inaudita nobis ante hoc tem- " pus, ac nova objecit, quæ mihi iste visus est " ex aliâ oratione declamare, quam in alium " reum commentaretur; ita neque ad crimen " parricidii, neque ad eum, qui caussam dicit, " pertinebant. *Et Eâdem orat.* Permulta sunt, " quæ dici possunt, quare intelligatur summâ " tibi facultatem fuisse maleficii suscipiendi: " quæ non modò idcirco prætereo, quòd te " ipsum non libenter accuso; verùm eò magis " etiam, quòd si de illis cædibus velim com- " memorare, quæ tum factæ sunt istâ eâdem " ratione, qua S. Roscius occisus est, vereor " ne ad plures oratio mea pertinere videatur.

Idem

Idem pro Posthumo; Quid ego Senatum de-
" fendam hoc loco, judices? omni equidem
" loco debeo; ita de me meritus est ille
" ordo. Sed id nec agitur hoc tempore; nec
" cum Posthumi causa res ista conjuncta
est.

Alterius generis est ἀποδίωξις ista pro Plancio; Quo quidem tu loco, Cassi, etiam purgâsti inimicos meos, meæque vitæ nullas ab illis insidias fuisse dixisti; posuit hoc idem Laterensis. Quamobrem de isto paulò pòst plura dicam; de te tantùm requiro, *&c. Item pro lege Manilia*: Sed de Lucullo dicam alio loco, & ita dicam, Quirites, ut neque vera laus ei detracta oratione nostra, neque falsa afflicta esse videatur.

8 Sect. *Revocatio est, cùm quia longiores aliquâ in re fuerimus, orationem ad principium revocamus.*

E.G. " Sed nimis hac de re multa; quare in gyrum contraham orationem.

9 Sect. *Digressio quoque, etsi ad amplificandum ferè adhibetur; tamen ratione situs, h.e. quatenus excurrit extra ordinem primarum orationis partium, pertinet ad dispositionem.*

10 Sect. *Et hæc de Schematibus, tum λέξεως, tum διανοίας, quæ ut maximum orationi ornamentum adferunt, si parcè, & prudenter adhibeantur; ita immodicè usurpata efficiunt, ut nimia illa lenocinia orationem magis meretrici similem reddant, quàm matronæ.*

Gerardi Johannis Vossi

PARTITIONUM ORATORIARUM.

Liber Quintus.

CAP. I.

De prima, alteraque compositionis parte, quæ sunt Junctura, & Ordo.

1. unc *de Compositione dicamus, quæ ex idonea verborum, sententiarúmque structurâ ornatum adfert orationi.*

* Lib. 1. c. 6. Sect. 6. & c 3. Sect. 1.

Tres siquidem feceramus * Elocutionis partes, Elegantiam, Dignitatem, & Compositionem; quarum prima facit, ut emendatè, & dilucidè dicamus; altera, ut ornatis utamur verbis, sententiisque; tertia, de qua deinceps agendum, ut ordine singula collocentur.

2 Sect. *Compositioni subjiciuntur quatuor, Junctura, Ordo, Periodus, & Numerus.*

3 Sect. *Junctura præstat, ut oratio sit lenis, & mollis; aut sonora, ac grandis; aut si rei, de quâ agitur, natura ita ferat, contrario modo sit affecta.*

4 Sect.

4 Sect. *Mollia ſuavitatem pariunt; eoque locus iis eſt in rebus lætis, & jucundis, ſonora grandia q. gignunt amplitudinem, contra quam faciunt exilia, quæ idcirco in re tenui locum habent. Dura aſperáque conveniunt rebus duris, & aſperis.*

Sonantia in Pompeio Saturnino commendabat Plinius *. Ejuſmodi eſt, *majeſtas.* Exile eſt, *inimicitiæ.* Molle & lene, *lilium.* Durum, atque aſperum, *Xerxes.*

* Lib. 1. Epiſt. 16.

5 Sect. *Omne hoc metimur auribus; quarum judicium ſuperbiſſimum eſt. Duo verò ſunt, circa quæ judicium hoc verſatur; ſonus literarum, & ſyllabarum multitudo.*

6 Sect. *Literarum ſonus duobus æſtimatur, naturâ earum in ſe, & earundem concurſu.*

7 Sect. *De priori ſic ſtatuimus: è vocalibus maximè ſonat A, proximè O, inde U, hinc E, poſtremum locum obtinet I.*

8 Sect. *E conſonis minùs ſonant mutæ: atq. ex his ipſis minimè tenues, niſi acceſſione ſpiritus, ſive literæ H, tenuium exueriat naturam.*

9 Sect. *E ſemiocalibus L molle eſt, M firmum, N ſiccum, & tinniens, R aſperum, S humidum, X ſtridulum, Z ſuavius.*

10 Sect. *In concurſu literarum iſta Fabius obſervat. Vitandus vocalium concurſus, qui cùm accidit, hiat, & interſiſtit, & quaſi laborat oratio. Peßimè autem junctura, quæ eaſdem inter ſe literas committunt, ſonabunt. Et imprimis earum quæ patulo, aut cavo ore, efferuntur; ut A. & O. In epiſtolis tamen, ut in doctrina de charactere dicemus, locum habet vocalium concurſus, quia in*

his negligentia est pro cultu: item in sublimi stylo, quia ea res facit ad granditatem orationis. Imò aliàs quóque augusti atq; humilis animi est, nimis eum perhorrescere, cum indicet negligentiam hominis, de re potius, quàm verbis laborantis.

11 Sect. *Adhæc nec conjungendæ sunt consonæ, quæ in commissura vix antur.*

Argumento est, quòd veteres *δ' φωνίας* caussâ, sæpe in compositione literas aliis substituerunt. Quia B. durè sonat ante P. itemque N ante L, idcirco *aufero* dixere pro *adfero*, & *colloco* pro *conloco*: eadémque in aliis ratio.

Nec difficile est caussam reddere, cur alia aliis duriùs molliúsve ad aures accedant. Nam necesse est, durum gigni sonum concurrentibus literis, quæ habitu oris contrario proferuntur. Atqui B. P. M. & his similes, os claudunt; contra N, & K, apperiunt. Hanc contrarietatem Græci Ἀντιτυπίαν appellant quasi *renitentiam* dicas. Ut in *carpo*, ἁρπάζω. Nec ἀντιτυπία ista tantùm spectatur in diversi organi literis, ut si una palati, altera labialis sit; sed etiam si una leniùs, quàm altera, spiritum pellat. Hujusmodi sunt B & P. item C et G. item D et T unde iis concurrentibus, altera solet corrumpi, ne os molestè torqueatur. Estque hæc caussa, cur non, ut *ab rege*, ita *Ab Pamphilo* dicamus.

12 Sect. *Præterea videndum, ne ultima syllaba præcedentis dictionis sit prima sequentis. Interdum tamen id elegantiæ est.*

Ut

Ut illo Maronis, *Fama malum*; item apud Cic. Philipp. 1. *Quæ quæsita*, item cùm idem ait, *Res mihi invisæ, visæ sunt Brute*: & illo ejusdem, *O fortunatam natam me consule Romam!* Quæ duo cum Fabius* Ciceroni excidisse scribit, planè judicium ejus desidero.

* Lib. 9. cap. de compositione.

13 Sect. *Despiciendum etiam, ne commissis inter se verbis duobus, ultima prioris, & prima posterioris syllaba, efficiant turpe aliquod nomen.*

Id in causâ fuit, cur veteres * *nobiscum* potiùs dixerint, quam citra ἀπόστροφον. Vocant Græci κακέμφατον. Quale Servius etiam esse putat in his Maronis, *Dorica castra*: & *cæca caligine*. Nam ex syllabis concurrentibus nascitur vox *cæca*. Quod tamen non refugit, vel saltem nec effugit Livius lib. XXIV. quo loco agit de Cn. Scipionis femore tragulâ confixo: *Haud dubium fuit, quin, nisi ea mora intervenisset, castro eo die Punica capi potuerint.*

* Cic. in in Orat.

14. Sect. *Atqui hæc de literarum potestate, quatenus varium gignit sonum. Alterum erat syllabarum multitudo: de qua hoc solum præcipi opus est, vocabula mediocria præferri monosyllabis, & longis. Nam monosyllaba, multáque brevia, si continues, compositio clausulis suis concisa subsultabit. Et contrà longiorum continuatio adfert quandam dicendi tarditatem.*

15 Sect. *Ordo sequitur: de quo (ut Fabii vestigiis insistamus) illud primum cavendum in amplificando, ne decrescat oratio, & fortiori subjungatur aliquid infirmius.*

Ut sacrilego fur, latroni peculans,

16 Sect. *In extenuando verò contrarius ordo locum habet.*

17 Sect. *Præcedere etiam debet, quod naturâ, vel dignitate præstantius est.*

Eoque viros ac feminas; diem, ac noctem; ortum & occasum, potiùs dicemus, quàm retrorsum. Cicero tamen non refugit, *noctes dies que.*

18 Sect. *Collocando quoq; ea priori loco, quæ ordine permutato fiunt supervacua.*

Quod utilissimum præceptum parum idoneo exemplo à Fabio illustratur. Nam *fratres gemini* dicere jubet, quia, ut inquit, si præcesserunt *gemini*, *fratres* addere non est necesse. At gemini quoque esse possunt, qui fratres non sunt; eoque Cicero etiam, & Livius, aliter locuti.

19 Sect. *Adhæc verbo sensum cludere, multo, si compositio sic patiatur, optimum est. In verbis enim sermonis vis inest. Sed id si asperum erit; cedat ratio numeris.*

Plurimos alii canones adjiciunt, non quidem aspernandos puritiæ, at non magnæ tamen rei. E pauculis, quos adferam, cæterorum erit judicatio.

I. Eleganter aliquid interjicitur inter substantivum, & adjectivum: ut longâ illâ ad Lentulum epistolâ: *Aut occulta nonnullorum odia, aut obscura in me studia cernebam.*

II. Adjectivum elegantiùs tum substantivo postponi solet, quando vel comparativus, aut superlativus est, vel pronomen; sub quo

quo comprehendo distributiva, partitiva, & numeralia. E.G. *virtute maxima, amicus quilibet, annus sextus.*

III. *Si* elegantur secundo loco ponitur; ut, *Id si feceris.*

IV. *Quàm* venustiùs ponitur inter nomina, imum locum obtinente comparativo. E. G. *Boni quàm docti, gratiores esse debent. Ejus nomen, quàm Solonis, illustrius.*

V. Negantia scite ponuntur loco extremo. Ita Cicero Philip. II. *Qui bonos post conditam hanc urbem habitus est togato ante me nemine.* Item Cæsar claudit his verbis librum secundum de bello Gallico; *Ob eâsque res ex literis Cæsaris, dies 15. supplicatio decreta est, quod ante id tempus acciderat nulli.* Paulò antè dixerat idem; *Cum jam defenderet nemo.*

Quem hujusmodi præceptiunculæ delectant, haurire eas poterit è Jacobi Publicii institutionibus, & Francisci Sylvii progymnasmatis. Quædam etiam de iis melioris notæ rhetor, Nicholaus Caussinus, in suis eloquentiæ parallelis lib. VII. cap. XV. Nos ad graviora properamus. Ad periodum dico, & numerum; quorum doctrina mirificam orationi venustatem adfert, eoque in hâc purgatis plane auribus opus est.

CAP.

CAP. II.
De Incisis, Membris, Periodis.

1. Sect. Accedamus *nunc ad doctrinam de periodo. A cujus partibus ordiemur. Periodi aliæ partes majores, quæ Græcè κῶλα, Latinis* membra *dicuntur, aliæ minores, quæ Greci κόμματα, Latinis vocantur* incisa.

2. Sect. *De commatis, coli, & periodi definitione, non convenit Grammaticis, ac Rhetoribus; quia illi sensu orationis, hi magnitudine, aut numero, ea metiuntur. Itaq; Grammaticis periodus est oratio per se absolvens sententiam; colon est pars periodi, quæ extra periodum sententiam absolvere possit; comma est pars periodi, quæ extra periodum sententiam absolvere non possit. At Rhetores sæpe vocant aliquid comma, aut colon, quod propriè non est pars periodi: ut cùm eum dicunt incisim, aut membratim dicere, qui paucis verbis perficiat sententiam.*

Rhetoribus autem comma est, *Nequid nimis.* Colon est. *Etiam capillus unus habet umbram suam.* Grammaticis autem utrumque sit periodus: quia per se sententiam compleat, ac proinde post se exigat πλείονα σημεῖα.

3. Sect. *Differunt comma, & colon numero: ut Fabius docet. Nam incisum vult esse sensum non expleto numero conclusum: membrum autem desinit sensum numeris conclusum, sed à corpore abruptum, & per se nihil efficientem.*

4. Sect. *Alii magnitudine potiùs distinguunt. Comma enim à duabus syllabis extendi aiunt usque ad septem: si ultrà progrediatur dici colon.*

Itaque perfectum comma est hoc pro Ligario; *Tulit arma contra te*, ubi syllabæ septem.

At

At minora commata sunt ista pro eodem: *Quæ tua mens? oculi? manus? ardor animi? quid capiebas? quid optabas?* Ubi comma duarum syllabarum est, *manus*: trium, *oculi*: quatuor, *quæ tua mens*? item, *quid optabas?* quinque, *ardor animi*: nec non, *quid cupiebas?*

5. Sect. *Est autem comma, vel extra periodum: quod perfectam sententiam absolvere potest: vel periodi pars, coque nihil absoluti significans.*

6. Sect. *Incisa extra periodum frequentamus in oratione concitata, ac vehementi, quæq; interrogationibus, ac responsionibus constat. Incisim quoq; effici amant γνῶμαι, & apophthegmata.*

7. Sect. *Ut autem comma, ita ut colon, vel est pars periodi, vel non est. Extra periodum perficit sententiam re ipsa. In periodo non re ipsa, sed potestate, quia demum avulsum à periodo complet sententiam.*

E. G. *Cùm regium sit benefacere, & audire malè: minimè siniſtrum hoc judicium turbare quemquam nostrum debet.*

Hæc periodus constat duobus colis. Utráque, ut in periodo ponitur, suspendit animum. At potest tamen utráque complere sententiam. Nam perfecta sententia est: *Regium est benefacere, & audire malè.* Perfectus quoque sensus est: *Judicium hoc siniſtrum quemquam nostri turbare non debet.*

8. Sect. *Colon vel est simplex, quod non resolvitur in incisa: vel compositum, quod ex incisis componitur.*

Simplex est, *Cur clandestinis consiliis nos oppugnas?*

Compositum

Compositum, *Obsequium amicos, veritas odium parit.*

9 Sect. *Præterea cola vel sunt* κομματικὰ, *sive brevia, quæ intra septimam, ac duodecimam se continent syllabam: alia* μέτρια, *sive mediocria, quæ intra duodecimam, & decimam septimam, aut octavam, alia* χρονικὰ, *sive oblonga, quæ hunc numerum excedunt: qualia & viginti quatuor syllabarum, atque amplius esse possunt.*

10 Sect. *Cola* κομματικὰ *locum habent in causis minoribus, ubicunq; acriter erit, pugnaciterque dicendum. Item in narrationibus, exceptis iis, quæ ornandi causa instituuntur. Hæc enim lenis, & fluens contextus decet.*

Talis est narratio in Verrinis de raptu Proserpinæ.

11 Sect. *At cola mediocria, & oblonga, usurpanda in panegyricis, & causis gravibus, et imprimis earum exordiis.*

Ut liquet ex Ciceronis Milonianâ, & Isocratis Panathenaico.

12 Sect. *De commate & colo diximus, tum quà periodi partes, tum quà absolutè spectantur. Nunc videamus de periodo; quæ Latinis dicitur comprehensio, circumscriptio, continuatio, circuitus, verborum orbis, & ambitus.*

* Circum. * Via. Græcum nomen est à περὶ, * & ὁδὸς: * ac vocatur ita, quia quasi in orbe quodam inclusa procurrat oratio.

13 Sect.

13 Sect. *ut vero intelligatur, quid orbem appellem; non ignorandum, duo esse orationis genera; unum naturale, alterum artificiosum.*

14 Sect. *Naturale nunc incisim, nunc membratim, nunc utroq; modo procurrit: nec orationi tribuit modum, sed eam ferri permittit, usq; dum sola sensus necessitate terminetur. Id circo Græcis* Εἰρομένη λέξις, *h.e. Fugis ac pendens dictio vocatur.*

15 Sect. *Artificiosa autem, nec brevitate aures defraudat, nec longitudine satiat; sed modum adhibet, certisq; terminis constringit orationem, ac gratâ quadam harmoniæ jucunditate complet.*

16 Sect. *Hæc si intra quatuor cola se contineat, periodus vocatur: sin eam excedat, attamen in orbe conclusa procurrat, periodicum dicitur, quia periodo similis est.*

17 Sect. *Periodus definitur ab Aristotele dictio, quæ ex se habeat principium, & finem, & conspicuam magnitudinem.*

Quæ definitio duo exigit. Unum est, ut periodus principium & finem habeat, non aliunde, quemadmodum fit in εἰρομένῃ sive interminatâ oratione, sed ex sese.

Altera conditio est, ut habeat magnitudinem εὐσύνοπτον, h. e. ut facilè perlustrari ac percipi possit. Cujusmodi est structura verborum circumducta, & quasi in orbem concluſa.

Est itaque hæc Aristoteleæ definitionis sententia, Periodus est oratio circumducta, ex

ex seſe principium ac finem habens, ac orbis magnitudinem, quæ uno intuitu facilè conſpiciatur, perceptáque moveat, ac delectet.

Eâdem mente à quibuſdam ex ſecundo Ciceronis de Oratore definitur in hunc modum, Oratio in quodam quaſi orbe incluſa procurrens, quoad inſiſtat in ſingulis abſolutiſque ſententiis. Cui definitioni conſentit illa Cornificii: Continuatio (ita periodum vocat) eſt denſa, & continens frequentatio verborum cum abſolutione ſententiarum.

Etſi autem omnis verborum ſtructura circumacta, & in orbem comprehenſa, periodus vocatur, non ab Ariſtotele modò, ſed etiam Cicerone, Cornificio, Demetrio, Fabio: Hermogenes tamen eam demum perfectam periodum eſſe ſenſet, quæ vel epicherematica eſt, h.e. argumentum continens; vel enthymematica. h.e. partibus contrariis conſtans. Verùm neutiquam in periodis neceſſarium eſt, ut argumentationem contineat; etſi ea, quæ id faceat, cæteris præſtat; ut quæ non ſolùm pulchra ſit, ſed etiam lacertoſa. Et hæc de periodo in genere. Nunc de ejus diviſione agamus.

18 Sect. *Periodus vel eſt ſimplex, vel duorum, vel trium, vel quatuor membrorum.*

Græcè Ἁπελὴς, Δίκωλον, Τρίκωλον, & Τετράκωλον.

19. Sect. *Quod autem ſimplicem quandam eſſe periodum dico, id non ita intelligendum quaſi periodus*

periodus aliqua esse possit, quæ non habeat duas istas partes, quas vulgò πρότασιν & ἀπόδοσιν vocant; verùm simplex dicitur, quia tantùm est unius coli, etsi hoc colon comprehendat duo commata, quorum prius πρώτασιν, posterius constituit ἀπόδοσιν.

E. G. *Gratiâ tantum possumus, quantum vicli.* Hîc et protasis, et apodosis, est comma, vel quasi comma *. Periodus tamen est, non colon: quia est oratio circumducta, ac καμπτὼ habet propter ἀπόδοσιν.

* Addo *quasi comma*, propter eos, qui sensent, comma summum esse septem syllabarũ, Nempe etiam octo syllabæ pro commate censentur, si commata jungantur.

20 Sect. *Summum autem periodus est membrorum quatuor.*

Ut agnoscunt Demetrius, et Hermogenes, ac Terentianus quoque Maurus indicat, cùm scribit:

Quatuor è membris plenum formare videbis
Rhetora circuitum, sive ambitus ille vocetur.

21 Sect. *Interdum tamen agnoscimus periodum constare è quinque membris; verum id tum fit, cum membra illa quinque brevia adeò sunt, ut non excedant quantitatem quatuor majusculorum membrorum.*

Ita periodus hæc quinque constat colis; *Videte igitur, quam iniquè accidat, quia res dignas fit, ideò turpem existimationem sequi, quia turpis existimatio sequitur, ideo rem indignam non judicari.* Sane & periodum plurium esse membrorum posse, quàm quatuor; indicat quoque quòd Cicero

Cicero, cùm hac de re tractat, semel iterúmque eam ferè quatuor membrorum esse dicat. Quanquam & altera ratio est, cur ita Cicero loquatur. Nam περίοδον quoque, quia perio dicè contexitur, sub periodo comprehendit. Apponam verba ejus in Oratore; *Constat ille ambitus, & plena comprehensio è quatuor ferè partibus, quæ membra dicimus, ut & aures impleat, & ne brevior sit, quam satis sit, neq; longior: quanquam utrúmque nonnunquam, vel potiùs sæpe accidit, ut aut citiùs insistendum sit, aut longiùs procedendum, ne brevitas defraudâsse aures videatur, neve longitudo obtudisse.* Et Mox, *E quatuor igitur, quasi hexametrorum instar versuum quod sit, constat ferè plena comprehensio.* Illustre autem periodi quadrimembris exemplum habemus initio orat. pro Cæcina; *Si quantum in agro, locisque desertis audacia potest, tantum in foro, atque in judiciis impudentia valeret; non minùs in causâ cederet A. Cæcina Sex. Æbutii impudentiæ, quam tum in vi faciendâ cessit audacia.*

22 Sect. *Elegantissimæ autem sunt periodi, in quibus membra sunt æqualia, ut pene æqualia. Idem cùm fit,* Ισοκωλον *appellatur, sive* Compar.

Cic. in Manil. *Extremâ hieme apparuit, ineunte vere suscepit, mediâ æstate confecit.* Idem pro Mil. *Est enim hæc non scripta sed nata lex; quam non didicimus, accepimus, legimus; verùm ex natura ipsa arripuimus, hausimus, expressimus; ad quam non docti, sed facti; non instituti, sed imbuti sumus.*

23 Sect.

23 Sect. *ut hujuſmodi ſit oratio, non enumeratione conſequimur, quæ puerilis ſit induſtria; ſed uſu & exercitatione, quæ faciunt, ut animi quodam ſenſu par membrum reddamus ſuperiori.*

24 Sect. *Ex iis verò periodis τειτώλοις, aut τετραπώλοις, quarum membra imparia ſunt, orationem illæ faciunt acriorem, quæ ſunt ἑξαπώλοι, hoc eſt, in quibus poſtremum membrum cæteris brevius eſt.*

Ut in Miloniana: *Poſtremò, niſi eum Dii immortales in eam mentem impuliſſent, ut homo effeminatus fortiſſimum virum conaretur occidere, hodie remp. nullam haberemus.*

25 Sect. *At ſi ornatui ſtudeamus, præferenda erunt, quarum membrum poſtremum longius eſt prioribus. Græci μακροκώλους appellant.*

Ut pro Marcello: *Tantus enim eſt ſplendor in laude vera, tanta in magnitudine animi & conſilii dignitas, ut hæc à virtute donata, cætera à fortuna commodata eſſe videantur.*

26 Sect. *Quod ſiqua ſententia longior occurrat, quàm ut ambitu venuſto concludi poſſit, eam in plures partes ſecare licebit, quo ſingulis in orbe concluſis, plures fiant periodi.*

27 Sect. *Periodis, Fabio teſte, utimur in proœmiis gravium cauſſarum, in locis communibus, in amplificationibus, itémque in epilogis. His adde ex Cornificio, in ſententia, in contrario, itemq; in explicanda concluſione.*

28 Se. *Non tamen diu nimis utendum eſt periodis; ſed interſerenda his commata, et cola, quo varie-*

tate

tate hac tollatur fastidium, majorq; oriatur delectio.

De periodis hactenus.

29 Sect. *Quod si* περιοδολὴ *excedatur, ac nihilominus orbe quodam concluſa feratur oratio, dicitur* περίοδος *vel* περιοδικὸν.

Ut pro Archia; *Si quid eſt in me ingenii, judices, quod ſentio quàm ſit exiguum: aut ſiqua exercitatio dicendi, in qua me non inficior mediocriter eſſe verſatum: aut ſi hujuſce rei ratio aliqua, ab optimarum artium ſtudiis, & diſciplinâ profecta, à qua ego nullum confiteor ætatis meæ tempus abhorruiſſe; earum rerum omnium vel imprimis hic A. Licinius fructum à me repetere prope ſuo jure debet.*

30 Sect. *Sin verò non artificio, ſed dicentis viribus terminetur,* πνεῦμα *ſive ſpiritus vocabitur. Eſt enim* πνεῦμα *compoſitio ſententiam membris & inciſis dimenſam, pro oratoris ſpiritu, qui ejus voce perficitur, abſolvens.*

Sive eſt oratio commatis et colis, ſine verborum ambitu, ſententiam protrahens, quouſque patitur ſpiritus dicentis.

31 Sect. *Utimur eo inprimis, cùm gravia eventa narrantur.*

Egregium πνεῦμα & exemplum habemus in oratione Demoſthenis pro Corona; et apud Ciceronem orat. pro Domo, cùm ait. *Si revertar*, &c. Et in ejuſdem epilogo, *Quocirca te, Capitoline Jupiter*, &c.

32 Sect.

32 Sect. *Quod si oratio etiam longiùs protrahatur, quàm naturalis orationis spiritus ferat,* τάσις, *nominatur. Differunt enim* πνεῦμα, *et* τάσις, *quod illud accommodetur spiritui oratoris; hoc verò eum excedat, ac fit* πνεῦμα *dilatatum.*

Hujusmodi τάσεως habes exemplum septimâ Verrina, cùm ait, *Nunc te, Jupiter Opt. Max.* &c. usque ad, *Vos etiam, atque etiam,* &c.

33 Sect. *Est autem* τάσις *duplex,* καταφορὰ *sive impetus, &* τάσις *pressè sumpta. Differunt hæc, tum celeritate & tarditate, tum personis. Nam* καταφορὰ *celeriter procurrit, & convenit accusatori:* τάσις *sedatior est, utiturque, eâ, qui defendit.*

CAP. III.

De Numero.

1 Sect. *De incisis, membris, & ambitu vidimus: superest, ut de numero dicamus. Per numerum autem hoc loco non intelligimus multitudinem ex unitatibus collectam, quomodo in Arithmeticis accipitur, sed numerum harmonicum, h.e. concentum nascentem ex motibus, aut temporibus aptè dispositis.*

Ita hac voce etiam usus Maro, cùm ait, * *Numeros memini, si verba tenerem.* * Ecl. 4.

Item in isto, * * Ecl. 6.

Tum verò in numerum Faunosq; ferasq; videres
Ludere.

2 Sect.

2 Sect. *Non tamen hîc de eo agimus numero, qui in solo consistit motu, aut sono rei inanimæ (qualis tripudiorum, instrumentorum musicorum, aut malleorum fabrilium) sed illo duntaxat, qui in sermone humano deprehenditur, eoque definitur conveniens sententiæ sonus ex partium compositione nascens.*

3 Sect. *Estque hic vel poeticus, vel oratorius. De poetico non est hujus loci disserere.*

4 Sect. *Oratorius, à nonnullis definitur ex Aristotele, rythmus quidam non exquisitus, neque canorus, qualis est in poematibus, & canticis, sed ita dissimulatus & latens, ut tamen sentiatur, & orationem jucundo fine claudat. Vel è Ciceronе hoc modo: Numerus est modus quidam orationis, qui è permistis & confusis pedibus, & temporum, quibus constat aptâ ratione nascitur.*

Exemplo definitionem hanc illustrabo. Venustus planè numerus est in isto, *Nulla est tanta copia quæ non ferro, ac viribus, debilitari frangique possit.* At perierit venustas, si inverso ordine dicas: *quæ non ferro, ac viribus, possit debilitari frangiq;*: quare liquet è variâ pedum collocatione numerum nasci, qui suaviter afficit aures, magísque animos moveat auditorum. Ideo optimè ait Quinctilianus, *Neque Demosthenes fulmina tantopere vibrâsse diceretur, nisi numeris contorta fuissent.* Longè igitur falluntur, qui numeri suavitate putant sermonem enervari. Nam effeminatam quidem & enervem orationem reddit affectata compositio; cui fateor longè præferri debere eam quæ dura & aspera est, verùm numerus moderatus revera vim

vim, atque impetum addit orationi; ut qui & movendo delectet, & delectando moveat, quæ duo sunt munera oratoris.

Nec est, quòd dicat quisquam, olim quidem magnum fuisse numeri usum in foro; nunc verò non item; quia non agantur causſæ continuâ oratione. Nam, ut de eo nihil dicam, quod plurimùm hæc doctrina confert ad intelligendum artificium in antiquorum orationibus, cæteríque scriptis; sane hodiéque ea doctrina utilis est ecclesiasticis, ac legatis, omnibúsque, qui in senatu, aut ad populum orationem habent. Deinde maximos quoque hæc res fructus adfert in exarandis epistolis, orationibus, historiis, & nullo non scribendi genere.

Quæ cum ita sint, operæ pretium fecerimus, si paucis aperiamus, qui imprimis pedes numerosam efficiant orationem.

5 Sect. *Ac pedum quidem nullus non in orationem venit: unde Fabius mirari se ait, quòd Aristotelis, Theophrastus, Dionysius Halicarnassæus, aliique viri doctissimi, pedum alios eligant, alios damnent. Verùm nec ἁπλῶς hi pedes cæteros improbant; sed alios aliis putant suaviores esse, aut magis sonoros, quod verissimum est. Nam tum pedum alii conveniunt principiis, alii mediis, alii clausulis: tum pedes ac numerus variant pro rei de qua agitur, natura. De utróque deinceps agendum.*

6 Sect. *Principia rectiùs à longa incipere, docet Aristoteles, & Quinctilianus; ideóque laudant Pæana primum, qui primam stabilem, tres breve habet.*

Ut,

Ut, *Multa mihi necessariò.*

7 Sect. *Molossus quoq; principiis convenit.*
Ut, *Quæ res in civitate.*

8 Sect. *Interdum quoq; à brevibus incipit oratio.*
Ut ab anapæsto, *Animadverti, judices;* aut bacchio, *Novam crimen, C. Cæsar.*

9 Sect. *Media, quia latent, minùs numerum requirunt. Sunt tamen in iis quidam conatus; eoq;, si fluere debet oratio, iambici, aut trochæi imprimis locum habent: si tarda esse debent, spondæi.*
10. Sect. *Sed in clausulis maximâ opus est industriâ, quia in iis aures quiescunt. Optimè in hac, Cicerone teste, cadit ditrochæus.*

Ut, *Patris dictum sapiens temeritas filii comprobavit.*

11 Sect. *Sed quo præclarior hic numerus, eò magis ejus satietas vitanda est.*
12 Sect. *Spondæo orationem crebrò claudit Demosthenes. Eum eleganter antecedit creticus.*

Ut, *De quo ego nihil dicam, nisi depellendi criminis caussâ.* Atque hinc liquet, molossum quoque orationis clausulæ convenire, dum ex quocunque pede habeat ante se brevem.

13 Sect. *At minùs scite spondæum antecedit pyrrichius, pejus etiam pæan primus.*

Ut,

Ut, *Brute dubitavi.*

14 Sect. *At rectè spondæus præponitur iambo:*
Ut, *iisdem in armis fui.*

15 Sect. *Duo verò spondæi non bene terminant, nisi constent tribus vocibus.*
Ut, *Cur de copiis nostris copias comparatis contra nos?*

16 Sect. *Aristoteles commendat in fine pæana quartum, quia ob ultimam longam habet stabilem gradum. Sed dissentit ab eo Fabius, quia tres breves antecedant.*

17 Sect. *Nec dactylum, & spondæum, Cicero aspernatur:*
Ut, *Ex illo fonte dolores.*

18 Sect. *Sed Fabius malè cludere ait, quia est finis hexametri.*
19 Sect. *At tùm in periodorum initiis, tum mediis, tum clausulis, ornat amphimacer.*
Qui usitatiùs creticus dicitur, ut *dignitas.*

20 Sect. *Item dochimus, qui iambo constat, & cretico.*
Ut, *Reipublicæ.* Hinc Rufinus.
Principium, finem, ac medium tibi dochimus ornat.
21 Sect. *Plurimum autem, Fabii judicio, refert, num uno vocabulo, an pluribus idem numerus contineatur. Nam illo robustior, hoc mollior fit oratio.*
Molliùs sanè sonat, *criminis caussa:* validiùs *comprobaverunt,* quod in fine durum sit.

Quare, ut idem Fabius monet, hîc quoque vitandum est, ne plurium syllabarum verbis utamur in fine.

22 Sect. *Præterea, pro rei natura, aliis atque aliis pedibus utimur. Ubi pondus exigitur, longæ usurpandæ sunt syllabæ, quia hæ graviorem reddunt orationem. Ubi velocitas requiritur, conveniunt breves, quæ eam celerem reddunt. At rebus asperis accommodatiores sunt iambi, non solum, quia duabus constant syllabis, eóque crebriorem quasi pulsum habent, quæ res lenitati contraria est: sed etiam quòd omnibus partibus insurgant, & à brevibus nitantur in longas. Ideo rebus lenibus meliores sunt trochæi, qui è longis in breves cadunt.*

23 Sect. *Nec æquè numero studemus in singulis caussarum generibus: Genus demonstrativum, quia ei proposita est delectatio, fusiores liberioréque habet numeros: eóque Ciceroni placet omnia scribi Isocrateo, & Theopompeo more.*

24 Sect. *At parciùs numero studemus in deliberativo; idemque de juridiciali sentiendum; quia irasci, aut dolere ob eum judex non potest, quem putat vacare orationis calamistris.*

25 Sect. *Sunt & quædam compositionis vitia. Primum est, si poëtica sit. Versum enim heroicum, aliumve è notioribus generibus in oratione fieri fœdissimum est.*

26 Sect. *Deforme quoque est, si pars ejus posterior in clausula deprehendatur, aut prior in ingressu. Tamen ne præstantissimi quidem scriptores vitium hoc semper effugere potuerunt.*

27 Sect.

27 Sect. *Alterum compositionis vitium est, si poëtica quidem non sit, at uniusmodi tamen, ac continua. Nam in versificando quidem una lex datur: at in oratione similitudo tum satietatem, ac tædium parit, tum manifestâ affectatione fidem perdit.*

28 Sect. *Quare dissimulatio imprimis curæ esse debet, ut numeri sponte fluxisse, non necessitate coacti, esse videantur.*

29 Sect. *Ut autem lateat numerus; tum quæ maximè laborata sunt, solvi interdum debebunt, ne laborata videantur: tum etiam verborum sententiarumq; pondere complenda erit oratio. Hoc enim pacto fiet, ut dum auditores sententias admirantur, de numero nihil cogitent; qui tamen si abesset, minùs sententia delectâssent.*

30 Sect. *Hæc omnia verò non eò à nobis dicta sunt, quò oratio *, quæ ferri debet, ac fluere, dimetiendis pedibus consenescat, quod sanè miseri sit, & in minimis occupati; verùm & assuescamus nos sedulò numerosæ orationi: quâ exercitationi paullatim futurum est, ut ex tempore etiam similia scribamus.*

* Fabius l. 9. c. 4.

CAP. IV.

De Tripliçi charactere, & speciatim de Magnifico, ac vitio ejus.

1 Sect. Tradidimus *hactenus generalia Elocutionis præcepta. Sequuntur specialia, quibus docetur, quomodo pro diversâ materia, variisq; animis*

animi motu, variet Elocutionis genus, sive dicendi character.

Hanc de charactere doctrinam, uti & illam de duabus ejus affectionibus, excerpemus imprimis aureolo è libello Demetrii, cui vulgo Phalerei cognomen tribuitur: sed ordine meliori pleraque omnia digeremus.

2 Sect. *Est Character triplex; magnificus, sive sublimis, humilis, sive tenuis, & æquabilis, sive mediocris.*

3 Sect. *Magnificentia consistit in sententiis, locutione, & compositione.*

4 Sect. *At* sententiæ *quidem magnificentiam adferunt, si explicetur magna, atq; illustris aliqua sive terrestris, sive navalis pugna; item si sermo sit de cælo, terrâve. Neq; enim sufficit, ut res de quibus sermo est, amplæ sint: sed etiam necesse est, ut gravia graviter dicantur.*

5 Sect. *Quæ* locutionem *ornant, partim referuntur ad primam Elocutionis partem, quæ elegantia vocatur: partim ad alteram, quæ Dignitas sive Figuratio dicitur.*

6 Sect. *Ad primam pertinent quatuor verborum genera.*

7 Sect. *Nam primò magnificentiam adferunt vocabula juncta, modò non sint composita more dithyrambico; sed similia ac duo hæc, legislator, & Respublica. Sed néque frequentia nimis esse debent, quia oratio excederet formam pedestris sermonis.*

8 Sect.

8 Sect. *Præterea idem præstant soluta.*

Ut, *postea verò quàm*, pro *posteaquam*; *maximo te opere*, pro *maximopere*. Nempe ubi vulgo in usu juncta, nos utemur solutis; ac si soluta magis consuetudo probet, nos juncta præponemus.

9 Sect. *Tertium genus constituunt facta, quæ Græci νεολογιστικὰ appellant. Nam sapiens quiddam videtur novi nominis fabricatio, quia, qui novat, videtur, similis primis linguæ autoribus. Debent autem, quæ finguntur, esse plana, similiaque iis, quæ sunt in usu. Alioqui non intelligimur, fietq; oratio monstrosa.*

10 Sect. *Quartum locum obtinet Poetica, h.e. loci poetarum inserti orationi: verùm hoc ut laudabiter fiat non sufficit, ut poetæ verba transponantur, sed ita imitandus poeta, ut aliud dicere videamur.*

11 Sect. *Quatuor his verborum generibus addi possunt verba vetusta: quæ & ipsa, Fabio teste, majestatem orationi adferunt, modò néque crebra sint, néque affectata, néque ab ultimis, & jam obliteratis petita temporibus.*

12 Sect. *Quæ ad* dignitatem *pertinent, partim tropi sunt, partim schemata.*

13 Sect. *E tropis imprimis magnitudinem adferunt translationes. Sed observandum in his, ne sint nimis crebræ, aut longè ductæ: aliáq; de quibus in Tropologia * diximus.* *lib.4.c.4.

14 Sect. *Idem quóque præstant Allegoriæ. Siquidem sunt terrori accõmodatæ. Videndum interim,*

ne allegoria obscuritate suâ fiat ænigma.

15 Sect. E *schematibus magnificentiam gignentibus, alia sunt,* λέξεως, *alia* διανοίας.

16 Sect. *Prioris generis est Anthipallage, sive Antiptosis. Nam quicquid consuetudine fit, pusillum est, nec admirationem parit.*

17 Sect. *Maximas quoq; vires habent* Ἀναφορὰ, Ἐπιφορὰ, Ἀναδίπλωσις, *aliâque schemata repetitionis. Ac illustris imprimis est* Ἀναφορὰ *conjuncta cum* Διαλύσει *sive Dissolutione.*

Sanè & parvus erat Nireus, & res ejus parvæ minutæque, ut qui tres tantùm naves ac paucos duxerit homines. Sed utriusque hujus figuræ beneficio, & Nireum magnum, & res ejus multas fecit Homerus, cùm in hanc sententiam dicere maluit; *Nireus è Simo tres naves ăŭxii, Nireus Aglaiæ filius, & Charopi regis, Nireus eorum, qui ad Ilium venerat, post Achillem pulcherrimus.*

18 Sect. *Interdum tamen & magnitudinem orationi affert Connexio, quæ dissolutioni contraria est.*

Ut *Militabant & Graci, & Cares, & Lycii, & Pamphilii, & Phryges.* Nam conjunctionis repetitio facit, ut infinita quædam videatur multitudo.

19 Sect. *Pertinet huc quoq;* Πλαγιασμὸς, *sive casus obliquatio.*

E. G. Non tam magnificum est, *Cæsar in Italiam advenit; quàm Cæsarem in Italiam advenire nunciatur.* 20 Sect.

20 Sect. E *schematibus* διανοίας *commendatur Aposiopesis. Nam quædam, non dicta videntur majora. Item Epiphonemata. Quippe rem jam prolatam ornant, eóque divitias ostendunt orationis.*

21 Sect. *Superest sublimis characteris compositio. Continent ea junctturam, ordinem, numerum, & periodum.*

22 Sect. *Quod ad junctturam, ea partim vocales spectat, partim consonas.*

23 Sect. *Concursus vocalium hoc in charactere, nec planè est consectandus, cùm, immodicus si sit, orationem dissolvat, ac dirrellat; nec usquequaque fugiendus, quia, id si fiat, oratio quasi muta erit, atq; expers ejus suavitatis, quæ iis oritur junctis.*

24 Sect. *Quod ad consonarum concursum, conducunt verba aspera, similiáque rebus, de quibus agitur.*

Aspera autem, ut superiùs quoque monitum, sunt *excors, parricida, Xerxes*, similiaque.

25 Sect. *Ad ordinem imprimis pertinent conjunctiones, quæ crebræ sunt in hoc stylo: sed non reddit eas exquisitè, nec expletivas temere infercit.*

26 Sect. *Observandum quoque, ut posteriori loco ponamus, quæ magis sunt illustria, ne à validiori decidisse videamur ad infirmius.*

27 Sect. *Si numerum spectes, pæonos, dactylos, ac similes pedes amat; contrà iambos, ac trochæos fugit.*

28 Sect. *Si periodum consideres, membris constat longioribus, utiturq; dicendi genere circumducto.*

29 Sect. *Et hæc generatim de charactere magnifico: quæ cùm aliis, tum imprimis orationi convenit panegyricæ.*

In ea, ut Dionysius Halicarnass. tradit quæ de regibus vel Diis dicuntur, cum venustate, sententiarum gravitate, & majestate verborum dici debent. Quæ verò ad collationes, sive similitudines, nec non ad comparationes pertinent, requirunt sermonem urbanum, ut idem monet.

30 Sect. *Charactéri huic opponitur* Forma ψυχρὰ, *sive* Frigida; *quæ & ipsa in tribus spectatur.*

31 Sect. *Primò in sententiis, si nimis hyperbolicæ sint; aut si de parvis rebus loquamur, tanquam de maximis.*

32 Sect. *Deinde in verbis, quod fit vocibus peregrinis, ac epithetis intempestivis, ut cùm Alcidamas dixit* humidum sudorem. *Item si juncta fuerint more dithyramborum: ac denique metaphoris grandibus, quæque magis conveniant tragœdiis.*

33 Sect. *Denique nascitur frigus è compositione, idque bifariam. Nam vel ea planè est numeri expers, ut si constet syllabis longis: vel nimis numerosa, ut cùm nonnulli versus ponunt continuos, aut manifestos;*

Hoc voluit Demetrius, cùm damnat μὴ κλεισθύλλια ἀπὸ τῆς συνεχείας: h.e. versus non occultatos oratione solutâ, cui includuntur, sed adeo apertos, ut neminem lateant. Cæterùm de discrimine styli grandis, & tumidi, vide & Plinium lib. IX, epist. XXVI. ad Lupercum.

CAP.

CAP. V.

De Charactere Tenui, ac vitio ejus: item charactere Mediocri, vitioque oppositio.

1 Sect. Vidimus *de stylo magnifico, sequitur tenuis. Hujus* Sententiæ *sunt exiles: ut de casa, agello, exiguo fluvio, aut oppidulo.*

2 Sect. Locutio *est pura, perspicua probabilis, & evidens. Fugit verba duplicia, facta, ambigua: item casuum obliquationem.*

3 Sect. *In* compositione *vitat syllabarum longarum concursum, & membrorum longitudinem.*

4 Sect. *Habet hic stylus imprimis in* Epistolis *locum. Interdum tamen hæ quóque assurgunt, ut cùm ad* Reges, *aut civitates scribitur. Verùm familiarum epistolarum dispar est ratio, quæ intra tenuem ferè characterem subsistunt. Quâre non incommodè hoc loco paucis agemus de epistolarium sententiis, verbis, ac compositione.*

5 Sect. Sententiæ, *ac universè materia ejus sunt res familiares, aut publicæ: nec hæ ipsæ nimis prolixè tractandæ. Nam si aut de rebus Philosophicis agamus; aut argumentum quidam sit epistolicum, sed ad libri magnitudinem excreverit; epistolam nomen suum amittere censet Demetrius.*

6 Sect. *Contexuntur epistolæ* Verbis *quotidianis, vel potiùs paulò ornatiùs, quando epistola quodammodo dono mittitur amico.*

7 Sect. Compositio *respuit numeros, ac verborum ambitum.*

8 Sect. *Hæc de ſtylo epiſtolico. Porrò, ex mente Halicarnaßei, nec in nuptiali oratione ab humili elocutione eſt recedendum, ſed inſiſtendum veſtigiis Xenophontis; in paucis verò ad gravitatem efferenda oratio, ſi alicubi ſententiarum cogat magnitudo.*

9 Sect. *Tenui characteri vitium eſt vicinum,* Forma Arida, *quæ & ipſa ſpectatur in ſententiis, verbis, & compoſitione.*

Sententiis, ut cum quidam aiebat, *Xerxes deſcendit cum ſuis.* Nam dicendum fuerat, *cum innumerabili exercitu,* aut *cum tota Aſia.*

Verbis, utſi de parricida dicas; *Euge tibi homicidam.* Nam & illud *euge* blandientis, eſt, & *homicida*, pro *parricida*, ſatis grave non eſt.

Compoſitione denique, ſi crebra fuerint inciſa, ut in Hippocratis aphoriſmo; *Vita brevis, ars longa, occaſio præceps, experientia fallax, judicium difficile.* Item ſi, cùm de re majori dicamus, periodo utamur, poſtremâ ſui parte truncatâ: ut qui Ariſtidem cognomento Juſtum accuſabat, quia non profectus eſſet ad pugnam Salaminiam; *Atqui Ceres ſua ſponte venit, & nobiſcum pugnavit: Ariſtides autem non.* Tantum de notâ tenui, atque aridâ.

10 Sect. *Supereſt character æquabilis, ſive* Mediocris; *qui mediam, inter tenuem & magnificum ſtylum, obtinet naturam.*

11 Sect. *Itaq; & ſententiæ ejus aliquantum ſe demittunt, neq; tamen adimum genus deſcendunt.*

12 Sect.

12 Sect. *Idem esto judicium de verbis. Nam magis, quàm tenuis character, secta, lepida jucundaq; verborum ac sententiarum ornamenta: at aspernatur vehementiores figuras, quæ sublimi generi tribuuntur; ut sunt grandes Metaphoræ, Interrogationes crebræ, Apostrophæ, Prosopopœiæ. Exclamationes, & similes.*

13 Sect. *Plus, quàm alia genera, numeris, ac compositioni studet.*

14 Sect. *Vicinum est huic generi vitium* Forma Fluctuans; *quod, aridum fugiens characterem, nimis assurgit; aut inflatum ac tumidum vitans, humi serpit.*

CAP. VI.

De Venustate, vitióque ei oppositio.

1 Sect. Hactenus *de triplici charactere, vitiisq; his oppositis. Agendum nunc de characterum affectionibus: cujusmodi inter alias sunt* venustas, *&* gravitas; *quas falsò, veros esse characteres, putavit Demetrius.*

2 Sect. *Venustas est duplex, levior, & gravior.*

3 Sect. *Leviores joci magis conveniunt Comœdiis: unde crebri sunt apud Aristophanem, & Plautum.*

Hujus quoque generis est scomma Lysiæ, qui de vetula edentula dicebat, eam faciliùs numeraturam digitos, quàm dentes.

4 Sect.

4 Sect. *Gravior venustas est duplex. Prior est ad dignitatem, atq; amplitudinem; cujusmodi apparet in poetis epicis.*

*Odyss. 3. vers. 102. *4. Æn. Ut cùm Homerus *Nausicaën, ejusque imitatione Maro *Didonem comparat Dianæ.

5 Sect. *Posterior est ad exacerbandum. Itáque terribilis est, & ἐμφατική.*

*Odyss. 10. vers. 369. Ut cùm apud Homerum * Cyclops ait, hoc hospitale munus habiturum Ulyssem, quòd post socios sit devorandus; quo lepôre nihil crudelius.

6 Sect. *Est & altera venustatis distributio. Num alia per se inest rebus, alia est in tractatione, alia in utróque.*

7 Sect. *Primi generis sunt nympharum horti, hymenæi, amores, convivia, choreæ, totáque poesis Sapphûs.*

8 Sect. *Alterius generis est, cùm è rebus naturâ odiosis lepôrem elicimus.*

*Lib. 2. de instit. Cyri. Ita Xenophon * invenit venustatem in homine invenusto, Aglaitidâ Persâ, cum ait, citius ex eo ignem, quàm risum elici posse.

9 Sect. *Tertii generis est, cùm tractatio res naturâ venustas venustiores facit.*

Sanè florum conjunctio res est jucunda; sed lepidior redditur à Marone * his versibus.

*Ecl. 2.

—*Tibi*

——*Tibi lilia plenis*
Ecce ferunt nymphæ calathis: tibi candida Nais
Pallentes violas, & ſumma papavera carpens,
Narciſſum, & florem jungit bene olentis anethi.

10 Sect. *Spectatur autem ornatus in tribus: ſententiis, locutione, & compoſitione.*

11 Sect. *Sententiarum loci ſunt minimùm tres. Primus eſt proverbiorum, quorum etiam alia aliis ſuperducuntur. Alter eſt fabularum, ſive hæ veteres, ſeu novæ. Tertius locus eſt timoris immutatio.*

Ut ſi quis funem timuerit, quia ſerpentem eſſe putaret.

12 Sect. *Differunt autem plurimùm ridicula, & venuſta. Primò enim diſcrepant* materiâ; *cùm, quæ naturâ venuſta ſunt, non videantur; quæq; ridentur, habeant deformitatem ſine decore, aut admiratione. Deinde* dictione, *quæ in venuſtis pulchra, in ridiculis vulgaris. Præterea* fine, *qui illic eſt delectatio & laus, hîc riſus. Ac denique* loco, *qui in venuſtis etiam tragœdia eſſe poteſt, in ridiculis non item. Et hæc de ſententiis.*

13 Sect. *Verborum venuſtas vel reſpicit elegantiam, vel dignitatem, ſeu figurationem.*

14 Sect. *Ad priorem modum refer juncta, ac dithyrambica.*

Ut in illo Pub. Syri Mimi.

Pietaricultrix, gracilipes, crotaliſtria, Avis exalbyemis.

15 Sect.

15 Sect. *Item ὀνοματοποιΐαν, sive novato.*

Cujusmodi est illud Augusti, * *vapidè se habere*, pro *malè*; *betizare*, pro *languere*.

* Apud Suetonius in Aug. cap. 91.

16 Sect. *Item hausta à plebè, sed tempestivè usurpata.*

Quorum exempla suggeret Plautus, imprimis in sermone servorum.

17 Sect. *Ad dignitatem pertinent tropi, & schemata, tum* λέξεως, tum διανοίας.

18 Sect. *Inter tropos commendantur Metaphoræ, Allegoriæ, ac Hyperbolæ quoque, sed Sapphicæ.*

Ut, *Auro magis aurea.* Nam comicæ magis sunt ridiculæ, quàm venustæ.

19 Sect. E *schematibus* λέξεως *amat Anaphoram, & Anadiplosin.*

20 Sect. *Laudatur quoque in ea concisio sive sermonis brevitas.*

Ut illo Terentii: *

* Eun. Act. 3. sc. 5. ——— *Simul alia circumspecto,*
Satin explorata sint video esse: pessulum ostio obdo.

Periisset venustas, si dixisset; *Et tuta quidem esse omnia, animadvertebam.*

21 Sect. E *schematibus* διανοίας *amat* Εἰκόνα *sive imaginem, ac* Παρεμβολὴν *quoque sive Collationem; sed ea modum excedere non debet: Nam hyperbolica magis conveniunt poetis, quàm oratoribus.*

22 Sect.

22 Sect. *Præterea gaudet* Ἐπανορθώσει *sive Correctione.*

23 Sect. *Item inopinato, quod* παρὰ προσδοκίαν *vocant.*

24 Sect. *Item tectâ accusatione,* κατ' ἐξοχὴν Σχῆμα, *sive Figura appellatur.*

25 Sect. *Superest compositio, quæ quod ad junctiuram, suavitatem sectatur: quod ad ordinem, in* συναθροισμῷ, *sive congerie, vulgaria priori, nova atque inusitata posteriori collocat loco: quod ad periodum amat* ἰσόκωλα *sive membra paria; quod ad numerum, ita versibus utitur vel integris, vel dimidiatis, ut à nemine deprehendatur.*

Ut initio orationis pro Archia poëta; *In qua me non inficior mediocriter esse versatum.* Ubi totus est hexameter. Oritur quoque suavitas, si oratio sit versui similis, inprimis in clausulis; ut,

Ad quos conscientiæ contagio pertinebat.

26 Sect. *Interdum etiam poetæ alicujus versus, emblematis instar, inseritur orationi.*

Ut à Cicerone in Pisonianâ factum videmus. Sed imprimis id facere gaudet in philosophicis; ut in Academicis Quæst. Tusculanis, aliisque.

27 Sect. *Opponitur venustati* Κακοζηλία: *quæ & ipsa partim in sententiis consistit, ut,* Centaurus seipsum equitans; *partim in verbis, ut* Risit rosa suavicolor; *partim compositione, si ea vel anapæstica sit, vel similis versibus mollibus*

ac

ac fractis, quales sunt, qui constant Ionicis à majore, ac Sotadei appellantur.

Κακοζηλίας exemplum non unum in Arruntio observat Seneca epist. CXIV.

CAP. VIII.

De Gravitate, & vitio, quod ei opponitur.

1 Sect. De venustate, & Κακοζηλία *diximus hactenus: superest gravitas, quæ orationem molestam acerbámque facit.*

2 Sect. *Hujus sententiæ sunt per se acerbæ. Jocos quidem adhibet, sed quibus admixta sit acerbitas.*

3 Sect. *Locutio spectatur partim in verbis singulis, quâ ad primam pertinent Elocutionis partem; partim in tropis, & schematibus.*

4 Sect. *Primi generis sunt, cùm σύνθετα sive composita, tum quæcúnque asperitatem habent.*

5 Sect. *E tropis inserviunt gravitati Metaphoræ rem amplificantes. Item Allegoriæ, Emphasis, Hyperbole,* Εὐφημισμός.

6 Sect. E *schematibus* λέξεως *pertinet huc,* Ασύνδετον, Αναφορά, Επίζευξις, Κλίμαξ. *At fugit verba similia, aliáque scitamenta, quæ magis ludentis sunt, quàm lædentis.*

7 Sect. E *schematibus* διανοίας *commendatur maximè* Præteritio, *Aposiopesis, Prosopopœia, Icon, Interrogatio* Αντίθετα, Επανάστασις, *sive insultus orationis, ac denique* λόγος ἐσχηματισμένος.

τικὸς, sive oratio obliquè aliquem perstringens.

8 Sect. *Fit ea multifariam. Nam interdum ambiguè loquimur, interdum mutamus personam; idque tum vituperando similem, tum laudando dissimilem.*

9 Sect. *Interdum quia de aliquo tutum dicere non est, universè dicimus quid fieri soleat, aut debeat; aut interrogando amicè ingenuam elicimus confessionem.*

10 Sect. *Superest compositio. Ea, quod ad junctura esse vocalibus hiulca, consonantibus aspera. Quod ad ordinem, in extrema periodi parte collocat quod maximè asperum, indignumque est. Quod ad periodum, usurpat in primis κῶλα κομματικὰ, & periodos in fine adstrictas contortásque.*

11 Sect. *Vitium gravitati oppositum dicitur* ἄχαρις, sive invenustum; *quod itidem consistit in rebus, verbis, compositione.*

12 Sect. *In rebus peccatur, si sint turpes, & obscenæ. In verbis, si rebus non respondeant.*

Ut cùm Clitarchus ait, *Depascit quidem loca montana, involat autem in cavas quercus.* De vespæ genere loquitur, tanquam de bove fero, aut apro Erymanthio.

13 Sect. *In compositione denique, si oratio sit similis divulsæ; si membra non sint colligata, sed similia fractis; si periodi sint longæ adeò, ut penè suffocent dicentem.*

Hactenus de characteribus, eorumque affectionibus;

affectionibus; quibus claudimus doctrinam Elocutionis.

CAP. VIII.

De Pronunciatione generatim, deque voce particulatim.

1 Sect. *Supereſt* Pronunciatio *ſive actio: poſtrema quidem oratoriæ facultatis pars, ſi ordinem in tractando conſideres: ſed tanti illa momenti, ut primas, ſecundas, tertias, ei tribuerit Demoſthenes.*

2 Sect. *Eſt verò Pronunciatio vocis geſtuúmque pro rebus & verbis apta conformatio.*

3 Sect. *Ejus quaſi fundamentum eſt memoria, ſive firma rerum verborumq; comprehenſio. Nam niſi memoriter dicamus, multùm decedet de vi, & gratiâ pronunciationis: neque auditores tantopere mirabuntur oratorem.*

Viris tamen principibus, item ægrotis, ſenibus, & qui ſe demum exercere incipiunt in arte oratoria, vitio verti nequit, ſi recitent è commentario,

4 Sect. *Memoriæ principium lumen adfert ordo; eoq; ſeu noſtra, ſeu aliena ediſcere volumus, ante omnia ſeriem orationis conſiderare oportet.*

Nempe unum melius obſervamus, quàm multa. Quæ autem aptè cohærent, quodammodo unum fiunt, quemadmodum ex pluribus annulis fit catena.

5 Sect.

5 Sect. *Etiam memoria juvatur locorum imaginumq; doctrinâ. Loci se habent instar chartæ, imagines, instar scripturæ.*

Loco enim committitur imago, quæ nihil aliud est, quàm simulachrum rei, de qua dicendum est. Loca ejusmodi sunt ostium, fenestra, caminus, lectica, *&c.* vel hortus, fons, collis, *&c.* Imago Cæsaris argumento erit, de Cæsare dicendum esse; ut equus, vel navis de equestri certamine, vel naumachia, agi debere. Sed & metaphorica admonent. Ut lupus, sus, asinus, significabunt primùm de alicujus rapacitate, inde de immunditie, ac denique de obtuso ingenio tractari oportere. Item ovis, turtur, ciconia, repræsentabunt mite ingenium, castitatem, pietatem erga parentes: atque ita in aliis.

6 Sect. *Sed omnis ista doctrina, quam operosè multi persequuntur, à nobis hoc loco præteribitur, eò quòd magnâ sui parte memoriam magis obruat, quàm juvet: & qua parte eam juvat ad distinctam artem pertineat, quæ* Μνημονικὴ * *vocatur.*

* Memorialis.

7 Sect. *Partes pronuntiationis sunt duæ: una vocem format, altera corporis motum.*

Illa aures, hæc oculos afficit, ac movet: ab illa pronunciationis, & hac actionis nomen impositum est.

8 Sect. *Præcepta harum partium vel generalia sunt quæ utramq; respiciunt; vel specialia, quæ*

quæ earum alterum tantùm ſpectant.

9 Sect. *Prioris generis eſt præceptum iſthoc, ut ne ſtudiosè conſectemur actionis delicias.*

Alioqui verendum planè, ne idem nobis uſu veniat, quod equis Sybaritarum. Nam, ut mollis erat populus iſte, equos etiam ſuos ſaltare ad modulos docebat. Sed ea res peſſimè ceſſit. Nam cùm Marte eſſet decertandum adverſus Crotoniatas, equi laſcivis motibus ſe atque univerſum exercitum * perdiderunt. Philiſci * quoque exemplum ab hoc more nos revocare debet. Nam quia voce & geſtu μιξόθηλυς * erat; ideo in tantum diſplicuit imperatori Antonino, ut neutiquam concedere illi vellet immunitatem, qua Rhetorum alii gauderunt. Etiam ad ignominiam Sexti Titii pertinet, quod tam ſolutus ac mollis fuerit in agendo, ut ſaltationis genus ab eo Titii nomen * invenerit.

* Ariſtoles lib. de rep. Sybaritarum, & ex eo Athenæus lib. 12. & Ælianus lib. 16. de Anima lib. c. 23. item Suidas.

*Philoſtratus de vitis Sophiſt. lib. 2.

*, Effeminatus.

*Cicero de claris Oratoribus.

10 Sect. *Nec propterea ars in totum negligi debet: ſed modus ſolum requiritur. Nam ut affectatio artis adverſatur gravitati; ita ejus neglectus auſteram ac ruſticam reddit actionem.*

11 Sect. *Præcepta, quæ ad ſolum pertineat vocem, vel totam reſpiciunt orationem, vel partem duntaxat.*

12 Sect. *Priora ſunt vel de qualitate, vel de quantitate vocis.*

13 Sect. *Ratione qualitatis curandum, ut vox ſit clara, itémque varia, cui pugnat μονοτονία: item ne ſit nimis præceps, ſed cum mora proferatur.*

14 Sect. *Ratione quantitatis videndum ut vox intendatur ac remittatur pro multitudine auditorum*

torum. Sed tamen nec aſcendat ad extremum, nec deſcendat. Nam vox ima ſi ſit, vim non habet; & in acutiſſimo clamore, nec rumpatur plurimum eſt.

Et quod majus inſcitiæ fuerit argumentum, quàm clamore applauſum quærere velle? Quales verius *clamatores* dixeris, quam *oratores*. Cicero * eos claudis eſſe ſimiles dicebat. Nempè quia ut hi, ob imbecillitatem ſuam, ad equum confugiunt: ita iſti in voce Stentoreâ, tanquam in jumento, fiduciam omnem apud imperitos reponunt. Atqui, ut bene olim dictum fuit, cognoſcitur orator ὐκ ἐκ τ φωνῆς, ἀλλ' ἐκ τ γνώμης. * Nec ſolùm hac parte peccant artis ignari; ſed, ut nihil eſt undique perfectum, eſt cum etiam exorbitent viri præſtantes. Talis erat Q. Haterius, quem ſufflaminandum eſſe, ſcitè dicebat Auguſtus*. Idcirco parêre ſolet liberto, qui vehementiùs currentem refrenaret.

*Plutarchus in Cicerone, & ex eo Photius in Bibliotheca. cap. 245.

*Non ex voce, ſed ex mente.

*M. Seneca in epitome contro. præf. l. 4.

15 Sect. *Præcepta, quæ partem tantum orationis ſpectant, vel majorem ejus partem reſpiciunt, vel minorem.*

16 Sect. *Quod ad partes majores, in exordiis ni. timur voce ſubmiſſiori, poſtea magis inſurgit vox: ac in narratione quidem eſt plana apertaq;; in contentione acrior, inprimis in argumentando; in epilogo excitata, quaſi partâ victoriâ.*

17 Sect. *Quod ad partes minores, verba ſingularia*

gularia pronuncianda sunt articulatè, & ἡμφατικὰ quidem ἐμφατικῶς: verba conjuncta, si numerus insit, cum quadam vocis modulatione sunt proferenda: res grandes dicendæ cum majestate quadam, atroces concitatè: suadebimus voce gravi, laudabimus magnificâ; in ira utimur voce incitatâ, crebróque interruptâ, in miseratione verò flectibili ac tristi.

CAP. IX.

De Corporis motu.

1 Sect. *Hactenus de voce, sequitur corporis motus: de quo duplicia sunt præcepta. Alia enim Ethica sunt, & ad civilitatem morum pertinent: alia Rhetorica, quæ non universam spectant Vitam, sed orationem ad persuadendum idoneam.*

* Quod interdum tristitiæ est, ut apud Cic. in Cluent. & Cæs. 1. de bel. Gall. interdum verecundiæ, ut Æn. 1. *Tum breviter Dido vultum demissa profatur.*

2 Sect. *Priora petenda ex Ethicis. Posteriora partim respiciunt totum corpus, partim certam corporis partem.*

3 Sect. *Ad totum corpus pertinet status, qui erectus & celsus esse debet; ita tamen ut, si in corona sit dicendum, adsit virilis in latera flexio.*

4 Sect. *Vultus, ad quem & frontis oculorúmque conformatio pertinent, debet pro rerum natura esse lætus, tristis, blandus, minax, erectus, demissus.**

5 Sect. *Cervice utendum rectâ, non tamen rigidâ.*

6 Sect. *Humeri non allevandi.*

7 Sect.

7 Sect. *Brachia non projicienda, nisi in vehementi affectu: quod si quid uberiùs ac speciosiùs tractemus, brachio dextro expatiamur in latus dextrum: sinistro brachio rariùs utimur; nec ferè nisi eatenus, ut quasi normalem angulum efficiamus.*

8 Sect. *Manus optimè à sinistro incipit latere, ac dextro deponitur.*

9 Sect. *Pectus ferire, aut femur, prope scenicum est.*

10. Sect. *Idem judicandum de supplosione pedum; quia olim utebantur in contentionibus aut incipiendis: aut finiendis.*

Atque hæc de gestu corporis sufficiat monuisse. Reliqua, quæ ad actionem pertinent, exercitationi relinquemus; ut cui plus hoc agendi artificium debeat, quàm præceptis. Vel cui ista non sufficiunt, cætera petat ex Cornificii lib. III. ad Herennium. Fabio lib. XI. cap. XIII. ubi copiosè de his agit: tum ex institutionibus nostris Oratoriis, quibus, ut alia multa, ita hanc etiam partem, plenius sumus persecuti.

FINIS PARTITIONUM ORATORIARUM.